



G
1004


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV. ANG.
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

QUAESTIONES PAROEMIOGRAPHICAE MISCELLANEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE SECT. I.

IN

UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA MONACENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET D. III. M. NOVEMBRIS A. MDCCCCIII CENSURAE TRADIDIT

MARIA PETZOLD.

LIPSIAE
TYPIS EXPRESSIT ROBERT NOSKE BORNENSIS
MDCCCCIV

PARENTIBUS MEIS

PIETATIS ERGO

Nostra ipsa aetate studia paroemiographica Graeca magnopere aucta et amplificata esse, cum viri docti operam haud exiguam conferrent in proverbiis Graecis non solum antiquorum temporum sed etiam mediae recentissimaeque aetatis penitus cognoscendis et perscrutandis, quis est, qui nesciat? Itaque liceat mihi, quae antea in has litteras collata sunt studia industria magis quam docta et ad antiquos tantum paroemiographos pertinentia silentio praeterire et recentiora sola commemorare. In quibus studiis colendis maxime versati sunt viri docti Otto Crusius, Carolus Krumbacher, N. G. Polites, quorum primus libro, qui inscribitur Anal. crit. ad paroemiogr. Gr. historiam criticam corporis antiquorum paroemiographorum adumbravit et corporis particulum restituit in libro, qui inscribitur Plut. de prov. Alex., alter Byzantinorum proverbiorum sicut omnino huius aevi studia amplexus est, tertius et Byzantinis et noviciis Graecorum adagiis explorandis operam dedit. At Byzantinorum quoque proverbiorum studia tam recentia esse, mirum non est nobis cogitantibus proximis demum annis complures libros manu scriptos, qui Byzantina proverbia exhibent, inventos, ex bibliothecis protractos, a viris doctis adhibitos et tractatos esse. Praestantissimas huius modi collectiones ediderunt Sathas *Μεσ. βιβλ.* V a. 1876, Piccolomini Estratti inediti dai codici Greci 1879, Krumbacher: Sitzungsber. d. bayr.

Akad. 1893 (Mittelgriech. Sprichwörter = Mgs), et 1900 (= cod. Mosqu.), Polites in Bibl. Mar. tom. *A'*, *B'*, *Γ'*.

Quoniam igitur studia paroemiographica tantopere vigent florentque nostris temporibus, hoc quoque loco diversas quasdam ad haec attinentes quaestiones paulo accuratius tractare non sine fructu fore putavi. Ac primum videtur mihi quaerendum esse, quomodo tres primae editiones Zenobii paroemiographi inter se cohaereant. Deinde de proverbiis et excerptis Byzantinis apud Michaelem Apostolium paroemiographum inventis agere mihi proposui, tum de eius ut ita dicam pseudoproverbiis. Sub finem appendicem addam, in qua Hermodori Rhegii proverbiorum collectionis manuscriptum adhuc ineditum, quod Adrianus Parvilerius ad Du Cange misit (cf. Du Cange: Index Auctorum p. 27), publici iuris faciam. Huius anecdoti exemplar, qui fuit magister meus Otto Crusius, vir doctissimus illustrissimusque, benigne mihi concessit. Atque hoc quoque loco amplissimae ei agantur gratiae cum pro hac comitate tum pro benevolentia semper in studia mea collata.

CAPUT I.

PRIMAE ZENOBII EDITIONES INTER SE COMPARANTUR.

Zenobii proverbiorum collectio primum typis expressa est a. 1497 Florentiae apud Iuntam. Quam editionem fontem fuisse Aldinae Ven. 1505, quae non solum Zenobium sed proverbia aliunde maxime e Suida congesta exhibet, Gaisford[1]) in praefatione p. VI dicit, idemque valere contendit de editione Haganoensi a. 1535. Fieri autem non posse, ut Aldina ex Iuntina pendeat, luculenter demontravit O. Crusius, qui Anal. crit. p. 32 sq. docet Aldinam imaginem veteris cuiusdam codicis fidelissime repraesentare atque eum, qui haec proverbia collegerit, ex duobus libris Zenobianis hausisse, quorum unus signo *λ denotatus Zenobii codex Laurentianus ipse vel Laurentiani simillimus, alter littera *π significatus Parisinus ipse vel Parisini simillimus fuerit (cf. l. s. p. 37 et 38). Hoc sane verum esse Aldinam non fluxisse ex Iuntina ex paucis quoque intellegitur locis, quos infra ex Aldina attuli, ubi Iuntinam et Haganoensem editionem inter se comparavi.

Nam quaeritur nunc, rectene iudicaverit Gaisford de editione illa Haganoensi necne. De cuius fonte

[1]) Paroemiographi Graeci ed. Gaisford.

Obsopoeum, doctum illum virum, qui editionem curavit, nihil indicasse dolendum est (cf. Simonsfeld, Sitzungsber. d. bayr. Akad. 1902 p. 556). Conferenda igitur mihi erat editio Haganoensis cum Iuntina. Inveni haec:

I 41 In Iuntina deest sententia: *Παρὰ δὲ τοῦ Περσέως· οὐ λαβὼν τοὺς ἵππους ἐπέταξε τῆς Γοργόνος τὴν κεφαλὴν κομίζειν.* In Aldina quoque abest, in Haganoensi autem invenitur. Gaisford adnotavit ad hunc locum: *Παρὰ δὲ τοῦ Περσέως* habet F in corrig.

II 35 Iunt. *Κοιθαρῳδοί*
Hag. *Κιθαρῳδοί*

II 59 Iunt. *τὸν εἱλώτων ἀπαγαγόντες*
Hag. *τῶν εἱλώτων ἀπαγαγόντες*

II 60 Iunt. *Βόκχορις*
Hag. *Βάκχυρις.*

Ald. col. 51 habet formam *Βάκχυρις: ἐπὶ τῶν δικαιοτάτων, τοιοῦτος γὰρ βασιλεὺς Αἰγύπτου* et *Βόκχυρις* cum eadem explicatione atque Iuntina et Hagan. editio, nisi quod verba paulo aliter disposita sunt.

IV. 62 Iunt. *καὶ λαβόντα*
Hag. *λαβόντα* sine *καί.*

In Aldina lemma *κρητίζειν* cum explicatione, quam Iuntina et Haganoensis exhibent, deest. Cuius locum simile dictum tenet Ald. col. 107 *κρητίζεις πρὸς Κρῆτα.*

IV 76 Iunt. *ἑτέρας* = Ald. col. 101
Hag. *πέτρας.*

Hoc loco vituperandus est Gaisford, quod hanc discrepantiam silentio praeteriit, quamquam p. VI praefatus est: Florentinam cum codicis manuscripti instar sit, summa cum cura perlustravi eiusque lectiones littera F distinctas ubique in annotationibus reposui.

IV 80 Iunt. *εὐμενῶς* = Ald. col. 103
Hag. *εὐμερῶς*

IV 92 Iunt. ὑπὸ γὰρ τούτου
Hag. ὑπὸ γὰρ τούτῳ
IV 92 Iunt. χρυσάμενον δέρας
Hag. χρυσόμαλλον δέρας.

In Aldina deest explicatio, in qua haec verba exstant. Legimus col. 114 tantum haec: λούσαις τὸν Πελίαν· ἢ δεῖ φαγεῖν χελώνης κρεὰ ἢ μὴ φαγεῖν, quae in proverbiis Alexandrinis coniuncta leguntur, cf. p. 10 ed. Cr.

Hoc quoque loco neglexit Gaisford discrepantiam editionis Florentinae indicare.

V 21 Iunt. μικρότητη
Hag. μικρότητι
Ald. col. 122 σμικρότητι
V 33 Iunt. εἰσϊ λάρνακα
Hag. εἰς λάρνακα
V 33 Iunt. πλήξας
Hag. ἐπλήξας
V 41 Iunt. ἐπὶ Νίκων φήμην ἀπαλεῖψαι = Ald. col. 117
Hag. ἐπὶ Νίκωνι ἀπαλεῖψαι.

Minoris momenti sunt hae differentiae:

	Ed. Hag.	Ed. Iunt.
II 35	Κιθαρῳδοί	Κοιθαρῳδοί
II 59	τῶν εἱλώτων	τὸν εἱλώτων
V 21	μικρότητι	μικρότητη
V 33	εἰς λάρνακα	εἰσϊ λάρνακα.

Quibus locis praebet ed. Hag. rectam scripturam, cum in Iuntina vitia occurrant. Inde autem concludere non debemus Hagan. editionem ex proprio codice fluxisse et ipso vel meliore quam Iuntinae, nam sane fiieri potest, ut scripturae huius editionis coniecturae debeantur.

Praeterea in censum vocare non possumus:

I 41, ubi in Iuntina, sicut iam antea diximus, sententia: *Παρὰ δὲ — κομίζειν* deest, quae in Aldina quoque omissa in Haganoensi invenitur. Nam cum haec verba in corrigendis editionis Iuntinae, qua usus est Gaisford, addita sint (cf. adnot.), fieri potest, ut in ipso codice Iuntinae exstiterint. Quae cum ita se habeant, discrepationem codicum Hagan. editionis et Iuntinae hoc loco certam habere non possumus.

Sequentia autem magni momenti sunt:

II 60 habet Iuntina *Βόκχορις,* Hagan. *Βάκχυρις.* In huius loci scriptura duplex memoria servata est, altera *Βόκχορις* praeter in Iuntina traditur codicibus, qui Plutarchi proverbia Alexandrina exhibent (cf. ed. Cr. p. 13) et libris manuscriptis P H, ut ex Gaisfordii adnotatione accipimus. Altera scriptura *Βάκχυρις* servata est in Zenobii codice Bodleiano n. 209 ed. Gaisford et apud Suidam. Quam utramque Aldina praebet, cum *Βόκχυρις* pro *Βόκχορις* stare videatur una littera mutata. Quin igitur hoc loco Hag. ed. referenda non sit ad Iuntinam sed proprii codicis lectionem servaverit, quis est, qui dubitet?

IV 62. In Haganoensi *καί* omissum est, quod in Iuntina et in codicibus P H invenitur. Videtur illud *καί* etiam in codice defuisse, unde Hag. ed. pendet.

IV 76. Hoc quoque loco negandum est Iuntinam fontem fuisse Hag. editionis, cum altera una cum Aldina praebeat *ἑτέρας,* altera *πέτρας.* Congruit autem Hagan. editio cum codice Bodleiano n. 568 et cum codicibus P H.

IV. 80. In huius loci scriptura sola Hag. editio *εὐμερῶς* habet, reliqui codices ut Iuntina, Athous III γ'

P H exhibent εὐμενῶς. Qua corruptela iam Hag. editionis codicem laborasse verisimile est.

IV 92. Hoc loco Hag. editio cum codicibus P H consentit, qui item χρυσόμαλλον exhibent, cum Iuntina sola falsam scripturam χρυσάμενον praebeat.

V 41. Res minus clara est hic, quoniam diiudicari nequit, num coniectura occurrat in Haganoensi. Sane facile erat intellectu pro ἐπὶ Νίκων scribendum esse ἐπὶ Νίκωνι et hoc sane per coniecturam restitutum esse potest, sed cum nihil esset, cur vocabulum φήμην omitteretur, defuisse id in codice, qui Hag. editionis fons fuit, concludi potest. Rectam scripturam ἐπὶ Νίκωνι φήμην praebent Plut. Prov. Alex. I, 1 et codices P H, ut Gaisfordii adnotatione docemur, qui dicit: φήμην addidi ex P H.

Vitia in editione Haganoensi rarius inveniuntur nec tamen ab ea prorsus aliena sunt. En habes praeter illud εὐμερῶς, de quo iam antea diximus:

	Hag.	Iunt.
IV 92	ὑπὸ γὰρ τούτῳ	ὑπὸ γὰρ τούτου
V 33	ἐπλήξας	πλήξας.

Faciunt autem haec vitia fidem Hagan. editionem codicis cuiusdam imaginem fideliter exprimere.

Hae differentiae omnes sunt, quae his editionibus inter se comparatis possunt demonstrari. Satis certo tamen probant Gaisfordii sententiam reiciendam esse, qui putavit Hagan. editionem a Iuntina pendere. Immo vero illam ex proprio fluxisse codice affirmari potest, cuius archetypon ei cum Iuntina commune fuit. Id quod eo magis nobis persuadetur, quod Obsopoeum, qui hunc librum edidit, permultos veteres codices operariis commisisse constat (cf. Simonsfeld l. s. p. 545). Fuisse

autem hunc Zenobii codicem Corvinianum Simonsfeld censet (cf. p. 561 sq.) et p. 556 adn. 1 de editione Hagan. dicit: Auch hiervon existiert eine Handschrift „vielleicht des ausgehenden 15. Jahrhunderts“ (Nr. 110) unter den Burney Manuscripts des Brittischen Museums cf. Catalogne etc. a. a. O.

Quae cum ita sint, de editione Haganoensi haec statuere possumus. Fluxit ca ex proprio codice, qui sicut codd. PHF ad recensionem Parisinam Zenobii codicum volgatorum (cf. Cr. An. cr. p. 16 sq.) referendus est, atque inter reliquas editiones proprium occupat locum.

CAPUT II.

DE APOSTOLII PROVERBIIS ET EXCERPTIS BYZANTINIS.

Iam pridem inter viros doctos constabat in proverbiorum collectione Michaelis Apostolii Byzantini, [1]) in qua praecipue antiquae collectiones exscriptae sunt, recentiores quoque fontes adhibitos esse, cum dicta Byzantina et proverbia vulgaria mediae aetatis in hoc opere inveniantur, quae apud ceteros paroemiographos non exstant. Apostolius ipse haud raro ea a reliquis distinxit nota *δημώδης* adiecta. Erasmus autem cognovit alia quoque proverbia, ubi hoc *δημώδης* deest, „ex vulgi faece hausta" esse, ut eius verbis utar. Nostris temporibus Kurtz rursus oculos in ea convertit (Die Sprüchwörtersammlung des Maximus Planudes p. 8), deinde Crusius saepius de eis verba fecit (Rh. Mus. XLII p. 398 et Litterar. Zentralbl. 37, 1283 a. 1886) itemque Krumbacher (Byz. Litteraturgesch. p. 906 et Mittelgr. Sprüchw. p. 260 sq.). Quae tamen proverbia ab his aliisque viris doctis dispersim et in transcursu commemorata et tractata sunt, cum alia eis illustrarentur cumque eis compararentur. Quae cum ita se habeant et praesertim cum magni sint momenti ad Graecorum proverbia

---

[1]) ed. Leutsch et Schneidewin: Corpus paroemiogr. Gr. t. II.

seriorum temporum cognoscenda, fortasse e re erit, in ea accuratius inquirere. Possunt autem haec dicta recentiora in tria genera dividi, quorum unum est eorum, quae ex vulgi ore originem trahunt, alterum locutionum, quae ex fabulis fluxerunt, tertium sententiarum, quae ex doctis fontibus derivandae sunt. Quae omnia a proverbiis antiquis segregata singulatim et in universum tractanda mihi proposui.

Ac primum proverbia vulgaria enumeranda et spectanda sunt.

I 66 *Αἴτει καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἄλφιτα: ἐπὶ τῶν ἀσυμπαθῶν.*

Pro corrupto initio huius versus Nauck: Philol. II p. 158 *αἰτήσεαι* proposuit et interrogationem restituit. Quae emendatio sane accommodata est ad Diogenis Cynici dictum a Plut. de vit. pud. 7, 531 F et Diog. Laert. VI 49 servatum: *ᾔτει ποτὲ ἀνδριάντα . ἐρωτηθεὶς δὲ διὰ τί τοῦτο ποιεῖ, Μελετῶ, εἶπεν, ἀποτυγχάνειν.* Dubium autem non est, quin huic scripturae praeferenda sit Erasmi, qui III, 2, 89 praebet: *Αἰτεῖ γε καὶ κτλ.* et explicat: Sane cibum et signis ab ipsis exigit. In eum dicendum, qui nullius misertus undecumque quod potest avellit vel ab ipsis mortuorum statuis.

II 75 *Ἀμαθὴς ἀναξυρίδα περιθέμενος πᾶσι ταύτην ἐδείκνυ: ἐπὶ τῶν εὑρόντων τύχῃ τινά, ὧν οὐκ ἦσαν ἄξιοι.*

Hoc dictum etiam in Aldina col. 29 invenitur. Ex Apostolio sumpsit id Katziules (Polites: Bibl. Mar. *Α'*) p. 72 n. 171, qui duplicem explicationem habet: *Ἐπὶ τῶν δἰ ἀπειρίαν καὶ ἀλαζονείαν τὰ ἀπρεπῆ δημοσιευόντων ἢ ἐπὶ τῶν εὐπορούντων, ὧν οὐκ εἰσιν ἄξιοι.* Quarum prior multo aptior est quam posterior et Apostoliana et sola recta esse videtur. Eandem Erasmus praebet, qui III, 4, 52 interpretatur: Imperitus subligaculum in-

dutus passim id ostendit. In eum congruit, qui propter insolentiam etiam ineptissimis rebus effertur. Deinde addit: Subolet hoc ab Apostolio additum ex huius aetatis adagiis.

III 4 *Ἄνους ὁ μακρὸς κατὰ τὴν παροιμίαν . ἧς ἐναντία. Ἔννους ὁ μακρὸς λῆρος ἡ παροιμία.*

Duo trimetri Byzantini sunt, qui idem valent non contrarium, ut Apostolius dicit. Exstant etiam in Aldina col. 35. Sensum explicaverunt Erasmus III, 4, 58: Amens qui longus, hoc est quod vulgo dictitant, praelongis mentem deesse, pusillis nimium adesse animorum et Zielinski: Quaest. com. p. 50: *Ἄνους ὁ μακρός,* ut est in proverbio; cuius ratio ea esse videtur, quod corporis magnitudo, si cum stultitia coniuncta est, magis eam conspiciendam reddit.

III 12 a *Ἂν στρουθὸς εἰς χάρακας: πρὸς τοὺς οἰομένους λανθάνειν ἐν οἷς πράττουσιν.*

Bonam emendationem huius dicti Kurtz proposuit (Jahrb. f. Philol. u. Pädag. 1891 p. 6), qui correxit *ἂν* in *σάν* (ex *ὡσάν*), ita ut sententiam efficeret: gerit se ut struthocamelus in fruticibus, qui sensus Apostolii explicatione etiam magis firmatur.

III 17 *Ἀνόητος νεοττὸς ἑκὼν δείκνυσι τὴν ἑαυτοῦ νοσσιάν.* Katziules hoc inter ea proverbia enumerat, quae sunt *περὶ μωρῶν καὶ ἀνοήτων* (Pol. I p. 126). Cf. etiam Polites II p. 311.

III 33 *Ἀπορία ψάλτου βήξ: ἐπὶ τῶν προσχηματιζομένων τι ἀδυνασίᾳ.*

Eandem explicationem aliis verbis praebet Katziules n. 303: *Ἐπὶ τῶν ἐν ἀπορίᾳ προσποιουμένων τι πράττειν.* Commemoratur atque ab reliquis proverbiis segregatur in Suidae lexico s. v. *βήξ*: *Βὴξ ἀντὶ πορδῆς: ἐπὶ τῶν ἐν ἀπορίᾳ προσποιουμένων κτλ. καὶ παροιμία νέα: Ἀπορίᾳ*

ψάλτου βήξ. Hoc proverbium Aldinae auctor ex Suida recepit col. 41, illud apud Ps.-Diogen. III 62 invenitur. Rem ipsam copiose exponit Erasmus II, 9, 45: Haesitantia cantoris tussis. Dictum videtur, quoties non suppetit, quod dicamus idque velut aliud agentes dissimulamus. Sumptum apparet a cantoribus, qui cum haerent in cantione tussim simulant, ut hac videatur interrupta cantilena non inscitia.

III 42 *Ἀπελθόντων τῶν ὀμμάτων τὰ τῆς μνήμης ἄξια ἐκ τοῦ νοῦ ῥαδίως ἐκφεύγει.*

Quam sententiam comparaverunt Kurtz: Planudes p. 44 et Crusius: Rh. M. 42 p. 422 cum Planudis n. 248 (246): *Τὰ μὴ φαινόμενα πρόσωπα ταχέως ἐς λήθην ἔρχονται.* Apud utrumque genuina forma proverbii diruta et paraphrasis tantum servata est. Ipsum proverbium melius servasse Katziulem n. 1891, ubi legimus: *Ὀφθαλμοὶ μὴ βλεπόμενοι λήθης ἀμπίσχονται,* ex collectione Warneri intellegitur, quae vulgarem formam praebet Polites II s. v. *μάτια* n. 4: *Μάτια ποῦ δὲ βλέπονται γλήγορα λησμονειοῦνται.* Cf. etiam Otto: Die Sprichwörter der Römer n. 1271.

IV 11 *Ἀσκὸν βαπτίζεις πνεύματος πλήρη: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων.* Subesse videtur trimeter Byzantinus: *Ἀσκὸν βαπτίζεις <μωρὸς> πνεύματος πλήρη.* Hoc quoque proverbium Erasmus interpretatus est III, 4, 32: Utrem mergis vento plenum. Competit in eum, qui frustra conatur, ut qui castigat inemendabilem, quod inflatus uter, quantumvis immergas, rursum emicet. — Culleum aeris plenum in proverbiali usu fuisse etiam ex loco Johannis Climacis apparet, quem attulit Krumbacher Mgs p. 233 n. 77: *Τοὺς μὲν κενοὺς ἀσκοὺς τὸ πνεῦμα διίστησιν. τοὺς δὲ ἀνοήτους ἡ οἴησις.* Cf. Otto n. 1841.

IV 27 b Ἀτεχνῶς τὸν σωρόν: ἐπὶ τῶν εὐηθιζομένων.
In editione Apostolii Pantiniana exstat ἀ. πρὸς τ. σ. Supplendum videtur ἔχει.

IV 51 Ἄφρων ὁ μὲν ἀπολέσει ἔχει. ὁ δ' εἰς τὸ δέον ἀναλώσει οὐκ ἔχει.

Metrica forma recte servata est in posteriore parte huius dicti, est enim trimeter iambicus noviciae artis, in priore unus iambus excidit. Fortasse scribendum est ἀνόητος κτλ. Dignum est memoratu hos versus homoioteleutos esse cf. Crusius Rh. M. 42 p. 398 adn. 2.

IV 51 a Ἀφέμενος τῆς δρυὸς ἕπεται τῶν πυρῶν: ἐπὶ τῶν ἀπὸ χειρόνων ἐπὶ τὰ βελτίω μεταπεσόντων.

Corruptela laborare videtur, nam quid sibi vult: ἕπεται τών πυρῶν? Leutsch coniecit ἅπτεται et hoc modo genitivus ferri potest. Sensus sine dubio hic est: Deserit rem ad vescendum non aptam (quercum) et cibum (triticum) adeptus est.

IV 66 Ἄχειρ νιφθῆναι βούλεται: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων.

IV 68 a Ἄχρι εἰς τὸ βάραθρον: ἐπὶ τῶν μέχρι τελευτῆς ἢ καλῶν ἢ κακῶν ἢ εὐγενῶν ἢ δυσγενῶν ὄντων.

IV 67 b Ἀψυχότερος λαγωοῦ φεύγοντος: ἐπὶ τῶν σφόδρα δειλῶν.

Similis hyperbola est atque Apost. V 90 n: Δειλότερος εἶ τῶν λαγωῶν.

IV 97 Βία πενήτων πλουσίων παράκλησις: παρόσον οἱ μὲν πένητες ἀναγκάζονται, οἱ δὲ πλούσιοι θρύπτονται καὶ θωπεύονται.

Hoc ipsum proverbium in Aldina exstat col. 54. Similiter apud Planudem n. 243 legimus: Πλουσίου παράκλησις πτωχοῦ βία. Quam Apostolius habet explicationem a Katziule quoque n. 457 receptam Kurtz impugnat (Jahrb. f. Philol. u. Päd. 1891 p. 6), qui id per analogiam serioris Latini proverbii: Magnatum preces imperia inter-

pretatur, ita ut sensus evadat: pauperes precibus quoque divitum coguntur. Quam sententiam veram esse etiam magis firmatur ex locis parallelis, quos attulit Otto n. 1458, imprimis ex sententia Publilii Syri n. 661 p. 115 ed. Wölfflin: Dominari ex parte dinoscitur, cum superior supplicat. Quod attinet ad metrum Crusius observavit eam, quam Apostolius praebet scripturam, choliambum esse (Rh. M. 42 p. 397 adn. 3). De voce *παράκλησις* vide Du Cange Glossarium p. 1107.

V 34 *Γέροντος πόστης δρυϊνὸς πάτταλος*: *δημώδης*.

Scribendum *πόσθη* cf. adnot.

V 80 a *Δάνειζέ μοι μαρτυρίαν*: *ἐπὶ τῶν παρὰ μέρος ἑαυτοὺς ἐπαινούντων*.

Hoc dictum antiquae originis esse ex Ciceronis loco apparet, qui p. Flacc. 4, 9 dicit: Testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit . . . Unde illud est: Da mihi mutuum testimonium? Quo de proverbio uberius disputavit Ernsmus I, 7, 94, qui praebet lectionem *Δάνεισόν μοι κτλ.* et explicat: Da mihi tuum testimonium recepturus itidem meum, siquando desiderabis. Cf. Otto n. 1772.

VI 39 a *Δύσκολα τὰ καλά.*

Er. II, 1, 12: Ardua quae pulchra. Apost. XVIII 7 et Zenob. volg. 538 legitur: *Χαλεπὰ τὰ καλά. Δύσκολος* pro *χαλεπός* positum est more Byzantino cf. Crusius l. s. p. 418.

VI 48 a *Ἐγὼ σκόροδά σοι λέγω, σὺ δὲ κρόμμυ' ἀποκρίνῃ.*

Expressit hoc Erasmus III, 4, 35 his verbis: Ego tibi loquor de alliis, tu respondes de cepis. Ex Apostolio recepit id Katziules p. 120 n. 42: *Περὶ τῶν ἀσύμφωνα λεγόντων.* Invenitur etiam apud Planudem n. 248: *Σκόροδα μὲν ἠρωτᾶτο, κρόμμυα δ' ἀπεκρίνατο.* Krumbacher Mgs p. 148 sq. hoc inter alia proverbia enumerat,

quae de eis sunt, qui fingunt se aliquid non intellexisse. Quamquam Apostolii forma a Planudea differt, metrum apud utrumque idem et quidem tetrameter trochaicus est. (Cf. Usener: Deutsche Litteraturzeit. 1886 n. 50).

VI 49 *Ἐδίδαξά σε κυβισᾷν καὶ σὺ βυθίσαι με ζητεῖς: ἐπὶ τῶν κακὰ ἀντὶ ἀγαθῶν ἀποδιδόντων.*

Erasm. III, 4, 84 interpretatus est: Docui te urinandi artem et tu me vis demergere. In eos quadrat, qui benefacta malefactis retaliant e. q. s. Idem habet scripturam *κυβιστᾶν* a Katziule quoque exhibitam p. 121 n. 46: *Ἐδίδαξα κτλ.*: *Ἐπὶ τῶν ἀπὸ τῶν εὐεργετουμένων βλαπτομένων. Κυβιστᾶν δὲ τὸ κολυμβᾶν.* Vulgaris forma huius dicti expressa est in collectione codicis M Pol. I p. 30: *Τὸν ἔμαθα καὶ κολυμβᾷ ἠγέρθη νά με πνίξῃ.* (Conspectus codicum Pol. I p. *ιγ'* sq.)

VI 54 *Εἰς τὴν λῆψιν τῶν ἀγγέλων καὶ ὁ Μάρδαρις ἄγγελος: δημώδης καὶ σαφής · ἔοικε τῇ · Τὴν γραῦν εἰς τἀκρωτήριον ἀϊτανόφρυν καλοῦσιν.*

De utroque proverbio imprimis de posteriore multa scripserunt viri docti.

Prius et rectam interpretationem praebet coll. Warneri s. v. *ἄγγελος*: *Στὴν ἀνυδρία τῶν ἀγγέλων καὶ κάρδαμος ἄγγελος.* Quando non pluit i. e. desunt angeli tunc et cardamus est loco angeli; cum meliora desunt, viliora loca supplent. Praeterea in coll. Planudea inest eisdem verbis expressum atque in Apostoliana nisi quod pro *εἰς τὴν λῆψιν* legitur *ἐν τῇ λείψει* p. 41 n. 228 (225) Kurtz. Cuius explicationem correxit Crusius, qui *ἄγγελος* non nuntium sed Engel nostro sermone significare demonstravit l. s. s. p. 418. Minus autem quadrat explicatio, quam Katziules p. 118 n. 32 protulit: *Ὅτι οὐ δεῖ τοῖς κρείττοσιν ἐξισοῦσθαι.*

Iam de altero dicendum est proverbio. Cum significatio vocis *ἀϊτανόφρυν* obscura esset, Crusius eo inductus est, ut putaret Apostolium in transcribendo errasse (l. s. p. 398). Postea autem invenit huius ipsius vocabuli et totius proverbii in glossario mediae et infimae graecitatis, quod scripsit Du Cange, mentionem fieri (Rh. M. 43 p. 478 sq.). Legitur enim hic p. 234: *Γαϊτανοφρυδού* vitta circa supercilia. Hermodorus Rhegius in Adagiis MSS.: *Τὴν στραβὴν εἰς τἀκρωτῆρι γαϊτανοφρυδοὺ τὴν κράζουν.* Sed hac explicatione vocis *γαϊτανοφρυδού,* ut idem sit atque vitta circa supercilia, res clarior non fit. Quam omnino procul habendam esse Kurtz iudicavit, qui rectam interpretationem protulit (Jahrb. f. Philol. 1891 p. 6), quam postea etiam Krumbacher invenit (Mgs p. 260 sq.). Profectus est Kurtz ab hodierno Graecorum sermone, ubi adhuc vox *γαϊτανοφρυδού* in usu est epithetum puellarum venustarum significans: *ἡ ἔχουσα τὰς ὀφρῦς πυκνάς.* Quam ob rem sensum proverbii hunc esse dicit: In montis cacumine (= *ἀκρωτήριον*) anus quoque pulchra appellatur. Similem versionem atque Herm. Rheg. habet coll. Warn. p. 110: *Τὴ στραβὴ εἰς τ' ἀκρωτῆρι γαϊτανόφρυδη τὴ λέσι.*

VI 57 *Εἰς οὐρανὸν πτύεις: ἐπὶ τῶν καθ' ἑαυτῶν τι πραττόντων. ἢ ἐπὶ τῶν ὑβριζόντων εἰς ἐξαίρετα. ἔστι δὲ ὁμοία τῇ: Πρὸς κέντρα λακτίζειν.*

Simile proverbium legitur Apost. XVII 66 b et Macar. VIII 66: *Ὑπὲρ κάρα πτύει* (*πτύειν* = Macar.). Nostrum bene explicavit Erasm. III, 4, 87: In caelum exspuis i. e. facis quod in tuum ipsius recidat caput. Vulgaris forma huius dicti optime traditur in cod. H n. 29: *Ὁ πτύων εἰς τὸν οὐρανὸν τὰ γένειά του πτύει* (Consp. codd. Krumb. Mgs p. 28) et in coll. Warn. s. v. *φτύω* n. 1: *Ὅπου φτεῖ στὸν οὐρανό, στὸν πρόσωπό του πέφται* et n. 1 a: *Ὅπου*

φτύνει στὸν οὐρανό, φτύνει <στὸ> πρόσωπό του. Magis ad doctum sermonem hoc dictum accommodatum est apud Katziulem n. 132: *Ἄνω ὁ πτύων, εἰς ἑαυτὸν πτύει.* Apud Planudem autem paraphrasis tantum exstat n. 9: *Οὐδεὶς ἔπτυσεν εἰς τὸν οὐρανόν, ὡς μὴ τὸ πτύσμα πρὸς τὸ αὐτοῦ καταπεσεῖν πρόσωπον.* Quam tritum usitatumque etiam apud hodiernos Graecos sit, ex multis exemplis apparet, quae attulerunt Kurtz Planudes p. 15, Krumbacher Mgs p. 164, Crusius Rh. M. 42 p. 400.

VI 59 c *Εἰρήνη ἀργίαν οὐ τρέφει: οἱονεὶ τὸν ἀργὸν καὶ μὴ ἔχοντα πόθεν ζῆσαι. ἢ ἀπὸ ταραχῶν. ἡ γὰρ εἰρήνη στρατιώτην οὐ τρέφει.*

VI 63 *Εἷς θεὸς καὶ πολλοὶ φίλοι: παρόσον οἱ ἀγαθοὶ φίλοι καὶ ἔτιγε μᾶλλον εἰ πολλοί εἰσι, δύνανται βοηθῆσαι τῷ δεομένῳ ἴσα καὶ τῷ θεῷ.*

Erasmus cognovit hoc vulgare esse cum diceret III, 4, 88: Unus deus et plures amici e. q. s. Opinor et hoc a vulgo mutuo sumptum non ex auctoribus. Simile dictum ex Planudis collectione n. 29 Crusius affert l. s. p. 402: *Εἶδες τὸν φίλον σου, εἶδες τὸν θεόν σου.* Ex Apostolio sumpsit hoc Katziules n. 713, qui hanc interpretationem praebet: *Ἐπὶ τοῦ δεῖν μετὰ θεὸν καὶ πολλοὺς ἔχειν φίλους.*

VI 98 *Ἕκαστος αὐτοῦ τὸ βδέμα μῆλον γλύκιον ἡγεῖται: δημώδης.*

Est tetrameter trochaicus, qui etiam in Katziulis collectione n. 735 legitur: *Ἕκαστος αὐτοῦ τὸ βδέλος κτλ.* — *Ἐπὶ τῶν τὰ οἰκεῖα αἰσχρὰ ὡς ἀγαθὰ οἰομένων.* Quo de proverbio disputavit Erasm. III, 4, 2: Unusquisque suum ipsius crepitum malo suaviorem existimat. Hoc est nemo est, cui sua mala non videantur vel optima. Refertur ab Apostolio Byzantino sed a vulgo sicuti

conicio sumptum. Nam huiusmodi quaedam ille videtur admiscuisse.

VII 15 *Ἔμπροσθεν κρημνός, ὄπισθεν λύκοι: ἐπὶ τῶν ἐν μέσῳ δύο κακῶν ἀφύκτων περιπαρέντων.*

Correctura *περιφθαρέντων* pro *περιπαρέντων,* quam Leutsch proposuit, necessaria non est, nam vox *περιπείρω* hoc loco bonum habet sensum. Erasm. III, 4, 94 explicavit: A fronte praecipitium a tergo lupi. Cum aliquis hinc atque hinc duobus maximis premitur malis, ut in utrumcumque inciderit, pereundum sit. Eandem explicationem atque Apostolius Katziules aliis verbis reddit n. 786: *Ἐπὶ τῶν δυσὶ κακοῖς ἐμπιπτόντων καὶ ἐνδοιαζόντων διὰ τὸν κίνδυνον.* Huius proverbii etiam in poemate Byzantino: *Τὸ κατὰ Λίβυστρον καὶ Ῥοδάμνην* mentionem fieri Polites *Ἐπετηρὶς Παρνασσοῦ Α'* (1897) p. 223 monuit, qui hoc loco multa quoque nova exempla excitavit. Simile proverbium etiam apud Romanos invenitur. Qua de re cf. Otto n. 986.

VII 20 *Ἑνὸς χανόντος μετέσχηκεν ἅτερος: αὐτοδίδακτος.*

Pro *μετέσχηκεν* Nauck et Mayor (Journ. of Philol. IV 320) *μετακέχηνεν* proposuerunt. Trimeter iambicus est, quem Erasm. III, 4, 95 hoc modo interpretatur: Cum oscitat unus, statim oscitat et alter. Dicendum quoties exemplo peccati statim provocatur aliquis ad simile facinus. Fit autem hoc occulta quadam naturae vi, ut qui viderit oscitantem cogatur et ipse oscitare. Cuius rei causam etiam reddere conantur philosophi. — Cf. Alex. Aphr. Probl. I, 34: *Διὰ τί οἱ βλέποντες χασμωμένους χασμῶνται; διὰ τὸ τὴν φῦσιν ὁμοιοπαθεῖν καὶ συμπάσχειν τῶν ζώων.*

VII 23 *Ἐν τοῖς τόποις τῶν τυφλῶν Λάμων βασιλεύει: ἑτερόφθαλμος γὰρ ἦν.*

Erasmus III, 4, 96 vertit: In regione caecorum rex est luscus. Explicationem addidit Katziules n. 850: *Ἐπὶ*

τῶν μικρὰν παίδευσιν ἐχόντων, παρὰ δὲ τοῖς ἀμαθέσι τελείων φαινομένων. Apostolius aut is, quem secutus est, hoc proverbium male intellexisse videtur. Nam Λάμων nomen cuiusdam hominis esse credidit, ut ex verbis adiectis ἑτερόφθαλμος γὰρ ἦν manifestum est. Sed dubium non est, quin scribendum sit γλάμων hoc est lippus et interpretandum: In caecorum locis lippus (non luscus ut Apost. dicit) regnat. Id quod eo manifestius est, quod in scholl. Vict. Did. ad Il. Ω 192 p. 634 Bekk. legitur: Γλήνη παρὰ τὸ γλαμυρόν, ὅ ἐστι δίυγρον, ὅθεν καὶ Ἀρχέδημος ὁ γλάμων [Arist. Ran. 588] καὶ παροιμία· Ἐν τυφλῶν πόλει γλαμυρὸς ἐμβασιλεύει. Idem proverbium in Planudis collectione inest n. 255 (253): Ἐν τῇ τῶν τυφλῶν πόλει καὶ ὁ ἑτερόφθαλμος ὡραῖος δοκεῖ. Sane probanda est Crusii sententia, qui putat explicationem ἑτερόφθαλμος pro γλάμων in textum irrepsisse et γλάμων restituendum esse (cf. l. s. p. 423). Idem l. s. docuit antiqua exempla eiusdem argumenti apud Zenobium vulgatum n. 277 inveniri, et Meyer: Byz. Zeitschr. III p. 408 novicia exempla attulit.

VII 24 Ἐν πίσσῃ τήρησον τὴν καρδίαν: ἀντὶ τοῦ · γενοῦ ἀνδρεῖος.

VII 39 d Ἐν ἀχύροις πῦρ ἐγχεῖ: ἐπὶ τοῦ ῥαδίως γινομένου.

Cf. Plut. Coniug. Praec. 4 p. 138 F: Ὥσπερ τὸ πῦρ ἐξάπτεται μὲν εὐχερῶς ἐν ἀχύροις καὶ θρυαλλίδι καὶ θριξὶ λαγῴαις.

VII 54 a Ἔξελε τὴν κόρυζαν τῆς ῥινός: ἐπὶ τῶν ὀργίλων καὶ ἰσχυρογνώμων.

Crusius l. s. p. 409 hoc dictum comparavit cum Planudis n. 97 (96): Τί ἂν ἄρῃς ἐκ τοῦ κορυζῶντος κτλ. De sollemni significatione vocis κόρυζα cf. infra p. 31.

XII 76 Ἔπηλυς τὸν ἔνοικον: λείπει τὸ ἐξέβαλλεν.

Idem apud Planudem n. 276 (275) exstat: *Ποίησόν με ἔνοικον, ἵνα σε ποιήσω ἔξοικον,* quod Crusius ex fabula natum esse censet l. s. p. 424. Erasmus III, 4, 10 aliam explicationem profert, cum dicat: Advena inquilinum subaudiendum *διέξεβαλεν* i. e. eiecit. Usus fuerit, cum alienae professionis alium in propria vincit arte, — quae tamen explicatio nullam habet verisimilitudinem. Immo vero putaverim hoc proverbium dictum esse de hospite ingrato, cuius argumenti multa exempla inveniuntur velut apud Katziulem p. 121 n. 46: *Ξένον ὁ ἔχων δεσπότην ἔχει* et *Ξένον φυλάττων λύκον φυλάττεις.* Neque aliena est ab hoc sensu interpretatio, quam Katziules p. 123 n. 63 profert: *Ἐπὶ τῶν ἀπὸ τῶν οἰκείων ἔργων ἢ κτημάτων τοὺς δεσπότας διωκόντων.*

VII 88 a *Ἔρχομαι κύων ὄπισθεν ἅρματα λελυμένος: ἐπὶ τῶν ἑκουσίως τοῖς δεινοῖς ἐγκαρτερούντων.*

Pro corrupto *λελυμένος* Pantinus coniecit *ἑλκόμενος,* quod tamen reiciendum est, cum explicationi repugnet. Estne fortasse scribendum: *ὄπισθεν ἅρματος ἀλλόμενος*?

VIII 5 *Ἔτρεχέ τις μὴ βρεχθείη καὶ εἰς βόθρον ἀπεπνίγη: ἐπὶ τῶν μικρὰ φευγόντων κακὰ καὶ περιπιπτόντων μείζοσιν.*

Receptum est a Katziule p. 116 n. 6. Erasmus III, 3, 89 interpretatur: Cucurrit quispiam, ne conspergeretur aqua, et in fovea praefocatus est e. q. s. Deinde pergit: Videtur e vulgo sumptum ab Apostolio, cuiusmodi multa scientes praetermisimus.

VIII 10 *Εὐήθει δάκτυλον μὴ δείξῃς, ἵνα μὴ καὶ τὴν παλάμην σου καταπίῃ: ὅτι οὐ χρὴ θάρρος διδόναι τοῖς ἀνοήτοις.*

Eandem explicationem pluribus verbis Katziules n. 947 reddit: *Ἐπὶ τοῦ μὴ δεῖν συγχωρεῖν τοῖς ἀνοήτοις μηδὲ τὸ σμικρόν. διὰ γὰρ τούτου καὶ ἐν τοῖς μεγάλοις*

βλάψουσιν ἡμᾶς. Hoc quoque proverbium vulgus sapere Erasm. dicit, qui III, 5, 5 explicat: Stulto digitum ne ostenderis, ut ne palmam etiam devoret Nihil permittendum imprudentibus quantumvis pusillum.

VIII 11 *Εὔχου τῷ πλησίον ἔχειν, ἐπὶ πλέον δὲ τῇ χύτρᾳ: παρόσον τὸ οἴκοι ἔχειν βέλτιον τοῦ παρὰ τοῦ γείτονος δέχεσθαι.*

Cf. Erasm. III, 5, 6: Opta, ut proximus habeat, magis autem ut olla. Potissimum est habere domi quibus est opus. Proximum vicinum habere divitem, a quo possis petere. — Sane *πλησίον* mutandum est in *πλησίῳ*; quam autem Kurtz proposuit emendationem Jahrb. f. Philol. 1891 p. 7, ut pro *τῇ χύτρᾳ* scriberetur *σῇ χ.* necessariam esse negaverim. Hunc quoque versum, est enim tetrameter trochaicus, Katziules ex Apostolio sumpsit, qui explicationem his verbis expressit n. 966: *Τουτέστι καλὸν μὲν τὸ πλούσιον ἔχειν γείτονα, κάλλιστον δὲ ἡμᾶς αὐτοὺς πλουσίους εἶναι.* Simile proverbium in coll. Warn. invenitur p. 69 s. v. *κέλλα*: *Εὔχου νὰ τὸ ἔχῃ ἡ κέλλα σου καὶ ὄχι ὁ κόσμος ὅλος.*

VIII 24 *Ἔχομεν κύνα τῷ πτωχῷ βοηθοῦντα: ἐπὶ τῶν τοῖς οἰκείοις θαρρούντων, ὑπ' ἐκείνων δὲ ἐπιβουλευομένων.*

Commemoranda est Erasmi explicatio, quae legitur IV, 2, 80: Canis mendico auxilians. Ubi quis nobis adversatur et diversis studet partibus, is cuius auxilio nitebamur. Nam canes sunt infesti mendicis e. q. s. Eandem sententiam multae aliae collectiones Byzantinorum proverbiorum exhibent. Legitur enim in codd. I et K (Krumb. Mgs p. 125 n. 88): *Εἴχαμεν σκύλον καὶ ἐβοήθην τὸν λύκον* et in cod. N n. 17 (Pol. I p. 38): *Εἴχαμεν σκύλον καὶ ἐβοήθει τοῦ λύκου.* Hi codices non solum vulgarem formam melius servaverunt quam Apostolius sed etiam meliorem scripturam praebent.

Nam recte sane disputavit Kurtz l. s. s., qui lectionem Apostolii codicis Paris. 3058 *πτωκί* praetulit, quae proverbiis aliarum collectionum magis accommodata est. Quarum formam etiam nunc in usu esse exemplis a Kurtz et Krumbacher ll. ss. allatis probatur. Cum nostra scriptura consentit Katziules p. 121 n. 46: *Κύων τῷ πτωχῷ βοηθῶν.* Cf. etiam Otto n. 320.

VIII 25 *Ἔχει καὶ οἱ μυῖα σπλῆνα: ἐπὶ τῶν εὐκαταφρονήτων.*

Hoc quoque Erasmus vertit III, 5, 7: Habet et musca splenem. Scribendum est *ἡ μυῖα,* quod etiam Katziules n. 971 habet. Antiquum exemplum apud Zenob. III 70 exstat: *Ἔνεστι κἀν μύρμηκι χολή.*

VIII 60 *Ἦν ποτε κἀμοὶ πρῶρα καὶ πρύμνη: ἐπὶ τῶν ἐν διαφόροις πράγμασί ποτε εὐτυχούντων.*

Cf. Otto adnot. ad n. 1477.

VIII 77 g *Ἠὼς ὁρῶσα τὰ νυκτὸς ἔργα γελᾷ.*

Apud Planudem n. 151 paraphrasis huius trimetri exstat: *Τὸν ἀφ᾽ ἑσπέρας καυχώμενον εἶδεν ἡ αὐγὴ καὶ ἐγέλασεν.* Similem formam atque Apostolius habet Hermodorus Rhegius p. 569 Du Cange s. v. *καμμώννειν: Τῆς νύκτας τὰ καμώματα τὰ βλέπει μέρα καὶ γελᾷ.* Praeterea hoc proverbium iuvenitur in cod. Mosq. n. 91 p. 411 Krumb.: *Τὰ νυκτερινὰ ἔργα ἐν ἡμέρα εὐκαταγέλαστα* et apud Katziulem n. 1628: *Νυκτὸς ἔργον ἡμέρας γέλως: ἐπὶ τῶν μὴ καλῶς γινομένων.* Quod adhuc nostris temporibus tritissimum esse apparet exemplis a Krumb. Mgs p. 240 et Papageorgiu: Byz. Z. III 579 allatis.

IX 18 *Ἰχθὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται: ἐπὶ τῶν ἐπιστάτας φαύλους ἐχόντων.*

Erasm. IV, 2, 97 de hoc proverbio haec disputavit: Piscis a capite primum incipit putere. Dictum in malos principes, quorum contagione reliquum vulgus inficitur.

Apparet ab idiotarum vulgo sumptum. — Idem habet Katziules n. 1141: *Ἰχθὺς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ὄζει: ἐπὶ δεσποτῶν παρανομούντων.* Vulgarem formam praebet coll. Warn. p. 126 s. v. *ψάρι: Τὸ ψάρι ἀπὸ τὸ κέφαλι βρωμᾷ.* Cf. Apost. XI 2a vetus Plutarchi proverbium: *Ἰχθὺς ἀποκείμενος.*

IX 36 *Κακὸν ἄγγος οὐ κλᾶται: παραπλησία τῇ: Κακὸς ἀνὴς μακρόβιος.*

Hoc quoque adagium ab Erasmo explicatum est IV, 2, 99: Malum vas non frangitur. Qui deterior is nonnumquam vivacior et in periculis tutior. Simili metaphora dicunt et hodie vulgo malam herbam non perire. Katziules Apostolii verbis explicationem adiecit n. 1181: *ἐπὶ τῶν κακῶν μὴ βλαπτομένων ἐν τοῖς κινδύνοις.* Exstat etiam apud Planudem n. 262: *Κακὸν ἀγγεῖον οὐ κλᾶται* et in coll. Warn. p. 29 s. v. *ἀγγεῖον: Κακὸν ἀγγεῖον δὲ βλάβεται.*

IX 58 *Κακὸν δῶρον ἴσον ζημίᾳ.*

Erasm. IV, 3, 4 trimetrum iambicum praebet: *Κακόν γε δῶρον ἴσον ἐστὶ ζημίᾳ* i. e. Munus malum est perinde uti dispendium. Similiter apud Planudem n. 263: *Καὶ ἡ κακὴ δωρεὰ λίθου ἐστὶ βολή.*

IX 96 *Κοινὸν ναυάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον: ὅτι ῥαδίως φέρουσιν ἄνθρωποι τὰς συμφορὰς ὁρῶντες καὶ ἄλλους ταὐτὸ παθοῦντας.*

Sane scribendum est *παθόντας,* Apud Romanos quoque invenitur. Cf. Ps.-Publ. Syr. n. 75 p. 121 ed. Wölfflin: Commune naufragium omnibus solatio est. Explicatum est ab Erasmo IV, 3, 9.

X 15 *Κρεῖσσον ὀλίγον φωτίζεσθαι ἢ παντελῶς σκοτίζεσθαι.* Homoioteleuton.

X 31 *Κυνὶ δίδως ἄχυρα, ὄνῳ δ' ὀστέα: ἐπὶ τῶν τἀναντία ποιούντων.*

Explicatum est ab Erasmo III, 4, 14: Cani das paleas, asino vero ossa. Cum res praepostere distribuuntur e. q. s.

X 54 *Κολωνὸν κυρίττειν: ἐπὶ τῶν μὴ πειθομένων περί τι.*

Simile dictum Greg. Naz. *παροιμία ἰδιωτική* appellavit Ep. 62: *οὐδὲ ὑπὸ τῆς παροιμίας τῆς ἰδιωτικῆς ἐπαιδεύθην φαλακρὸς ὢν κατὰ κριοῦ μὴ νυστάζειν ἀντὶ προσώπου.*

X 72 *Λίθος κυλιόμενος φῦκος οὐ ποιεῖ: ἐπὶ τῶν διὰ τὰς συνεχεῖς διαστάσεις πλοῦτον μὴ κεκτημένων.*

Paulo accuratius rem exposuit Katziules n. 1408: *Λίθος κυλινδούμενος τὸ φῦκος οὐ ποιεῖ: ἐπὶ τῶν ἀκαταστάτων καὶ ἀρετὴν ἢ πλοῦτον μὴ κατορθούντων. Ὁ γὰρ ἐν θαλάσσῃ λίθος, ἐὰν μὴ ἀκίνητος μείνῃ, ἀδύνατον φῦκος ἐπ᾽ αὐτῷ γενέσθαι. φῦκος δὲ χόρτος θαλάσσης.* Cf. Otto n. 1435 et Erasm. III, 4, 74: Musco lapis volutus haud obducitur. Qui non potest eodem in loco consistere, raro fit, ut ditescat l. q. s.

X 88 *Λύειν δ᾽οὐκ ἔστιν ἀγνοοῦντα τὸν δεσμόν: σαφής.*

Choliambus est novicia arte factus.

XI 11 *Μένε βοῦς ποτε βοτάνην: ἐπὶ τῶν βραδέων.*

Vide Erasmi explicationem III, 4, 80: Exspecta bos olim herbam. Dicendum, ubi quid sero contigit. Laborat enim bos in agricolando sed aliquando gustatura herbam enatam. Finitimum illi: et adhuc tua messis in herba est. — Antiquioris originis est, nam iam ab Ammonio: De diff. verb. commemoratur. Cf. edit. Valcken. p. 8, ubi scriptum est: *Μένε βοῦς ποτ᾽ ἐν βοτάνῃ.*

XI 12 *Μένε γραῦ ἐμόν σε παῖδα φιλήσοντα: ἐπὶ τῶν βραδέων.*

Hoc et prius Katziul. n. 1493 his verbis explicavit: *ἐπὶ τῶν ὑπισχνουμένων ἢ ἐλπιζόντων τι ἀγαθόν. ἢ ἁπλῶς ἐπὶ τῶν βραδέως συμβαινόντων. ὡς καὶ οἱ βόες ἀναμένουσι*

τὴν ἀναφαινομένην ἐν ἔαρι χλοήν. Erasm. III, 4, 81 interpretatur: Exspecta anus meum filium te suaviaturum, nam priusquam adolescat puer, illa decesserit. Confine superiori, cum sera spes ostenditur.

XI 42 *Μὴ ὢν Σύρος μὴ σύριζε: ἐπὶ τῶν παρ' ἀξίαν τι ποιούντων.*

Erasmus III, 3, 73 explicat: Cum non sis Syrus ne syrissa e. q. s. Tum addit: Est autem facetus iocus ex amphibologia huius verbi *συρίζω,* quod significat et syrissare et fistula canere.

XI 50 *Μήτε τυφλὸν ὁδηγὸν, μήτ' ἀνόητον ξύμβουλον: παραινετική ἐστι.*

Hoc quoque Erasmus vertit III, 3, 78: Neque caecum ducem neque amentem consultorem. Crusius l. s. p. 423 hoc cum Planudis n. 254 (252) comparavit: *Χειραγωγεῖ ὁ τυφλὸς τὸν μὴ βλέποντα.* Katziules habet p. 122 n. 56: *Τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγός: ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων ἑτέρους νουθετούντων.* Hoc dictum antiquae originis esse ex locis Plutarchi apparet, quos adscripsit Leutsch in adnotatione.

XI 62 *Μίτος ἔριδος τότ' ἦν: ἐπὶ τῶν ἐριζόντων καὶ διατεινομένων.*

Scribendum esse videtur: *Μίτος ἔριδος τότ' ἦν* <*τεινόμενος*> secundum Apost. III 47 = Ps. Diog. II 89: *Ἀπορραγήσεται τεινομένων τὸ καλώδιον.* Rem exponit Erasm. III, 3, 77: Filum contentionis tum erat. Dici solitum in pertinaces. Cum uterque pervicax est neuterque concedit alteri .... Apparet natum a ludo, quo duobus hinc atque hinc funem tenentibus uterque conatur alterum ad se trahere. Cf. Otto n. 739.

XI 71 *Μικρόθεν ἡ ἀγαθὴ ἄκανθα φαίνεται: ἐπὶ τῶν ἐκ πρώτης ἡλικίας φαινομένων ἀγαθῶν γενέσθαι.*

Erasm. III, 3, 75: Cum pusilla est spina, bona videtur. Pueritia semper amabilis. Quemadmodum spina quoque

innoxia est atque adeo vesca etiam, donec aetate durescat.

XII 1 *Νέους φίλους ποιῶν, λῷστε, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου.*

Erasm. III, 3, 80: Novos parans amicos, optime, veterum ne obliviscere. Idem proverbium invenitur in coll. Warn. p. 117 s. v. *φίλος*: *Ἂν καινούριους φίλους κάμῃς, τοὺς παλαιοὺς μὴ λησμονήσῃς* et apud Katziulem n. 39 p. 120: *Νέων φίλων εὐπορῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου: ἐπὶ τῶν φιλίας παλαιᾶς ἀμνημονούντων.*

XII 4 *Νεκρὸς κεῖται βδέων: ἐπὶ τῶν ἀπόρων, εὐπορεῖν δὲ προσποιουμένων.*

Erasm. III, 3, 30: Mortuus iacet pedens. Dici solitum siquando pauper simularet opulentiam. Apud unum Apostolium Byzantinum reperi et haud scio an ipsi vulgoque relinquendum.

XII 35 *Ὁ ἔχων ἵππου χρήματα ταχύτατα ἱππεύει: καὶ αὕτη δημώδης.*

Dictum vulgare esse iam ex metro cognoscitur, nam versus politicus est. Exstat etiam in coll. Warn. p. 35 s. v. *ἄλογον* n. 3: *Ὁπ' ἔχει ἀλόγου στάμενα γοργὰ καββαλλικεύει*, ubi Warner explicavit: Nummis facili negotio omnia parantur, et apud Katziulem n. 543: *Γοργοὺς ὁ ἔχων ἵππους γοργῶς ἱππεύει: ἐπὶ τῶν εὐχερῶς τὰ πάντα πραττόντων δι' εὐπορίαν.* Nova exempla collegit Polites: *Ἐπετηρὶς Παρνασσοῦ Β'* (1898) p. 132.

XII 36 *Ὁ ἔχων πολὺ πέπερι τίθησι κἂν λαχάνοις: ἐπὶ τῶν εὐπόρως καὶ ἀφθόνως βιούντων.*

Erasm. III, 3, 37: Qui multum habet piperis etiam oleribus admiscet e. q. s. Nonnihil suspicor et hoc Apostolium a vulgi faece hausisse. — Hoc proverbium in permultis Byzantinorum proverbiorum collectionibus commemoratur. Quarum solus codex F, qui dicitur

(Krumb., Sitzungsber. d. bayr. Ak. 1887 p. 70), pro *πέπερι* habet *ἐλάδιν*. Legitur enim n. 32: *Οἷος ἔχει πολὺν ἐλάδιν βάνει καὶ εἰς τὰ λάχανα.* Omnes reliquae collectiones Byzantinae praebent scripturam *πιπέρι* velut cod. H n. 32: *Ὅπου ἔχει πολὺν πιπέρι βάνει καὶ 'ς τὰ λάχανα* (Mgs p. 85), cod. L n. 48 (Pol. I p. 8): *Ὅπου ἔχει πολὺ πιπέριν βάνει κεἰς τὰ λάχανα,* cod. N (Pol. I p. 48) n. 42: *Ὅπου ἔχει περισσὸν πιπέριν βάνει καὶ εἰς τὰ λάχανα,* cod. *Δ* et *K* (Pol. I p. 59) n. 18: *Ὅπου ἔχει πολὺ πιπέρι βάλλει κτλ.*, cod. Mosq. (Jernstedt Viz. Vrem. 8 p. 117): *Ὁ πέπερι ἔχων καὶ εἰς φακὸν βάλλει,* coll. Warn. p. 101 s. v. *πιπέρι*: *Ὅπ' ἔχει πολὺ πιπέρι βάζει καὶ στὰ λάχανα,* coll. Katziulis p. 128 n. [80]: *Πολὺ ὁ ἔχων πέπερι κἂν λαχάνοις.* Latina quoque versio habet piper cf. Ps.-Publ. Syr. p. 130 n. 290 Wölffl.: Pipere qui abundat oleribus miscet piper. Nova autem exempla et *πιπέρι* et *ἐλάδιν* praebent (cf. Foy: Bezzenb. Beitr. 14 p. 48). Restat, ut de metro dicendum sit, quod apud Apostolium versus politicus est.

XII 55 *Ὀκνὲ κυάμους κατάβρεξον· εἰ φάγοις ὠμοὺς οὐδέποτε ἐπιλάθοιο: ἐπὶ τῶν πάνυ ῥαθύμων.*

Haec ipsa verba Katziules n. 1702 recepit. Paulo aliter Planudes hoc dictum expressit n. 63: *Ὀκνηρὲ βρέξον κυάμους, εἰ φάγῃ τούτων ξηρῶν οὐδέποτ' αὐτῶν ἐπιλήσῃ.*

XII 66 *Ὁ λύκος τὴν τρίχα οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει.*

Erasm. III, 3, 19: Lupus pilum non ingenium mutat... Canescunt enim lupi velut et equi more hominum per aetatem. — Hoc proverbium usitatissimum fuisse ex multis locis cognosci potest, ubi commemoratur. Scripturam: *Ὁ λύκος τὸ μαλλὶν ἀλλάσσει τὴν δὲ γνώμην οὐκ ἀλλάσσει* praebent codices E G K (Krumb. Mgs p. 126 n. 95). A quibus verbo tantum cod. L n. 16 differt (Pol. I p. 7), cum pro *μαλλὶν* scriptum sit *τρίχα*. Similia

habet Planudes n. 178: *Ὁ λύκος τὴν τρίχα ἀμείβει, τὴν δὲ γνώμην οὐκ ἀμείβει.* Pluribus verbis haec sententia expressa est in coll. Warn. p. 81 s. v. *λύκος* n. 6: *Ὁ λύκος κι ἂν ἐγέρασε κι ἄλλαξε τὸ μαλλί του οὐδὲ τὴ γνώμη του ἄλλαξε οὐδὲ τὴν κεφαλή του.* Ab his omnibus differt cod. Mosq., qui exhibet: *Ὄφις τὸ δέρμα ἀποδύεται, τὴν γνώμην δὲ οὐδαμῶς* (Jernstedt: Viz. Vrem. 8 p. 116). Nova exempla huius dicti attulerunt Kurtz Planudes p. 36 et Meyer Byz. Z. III p. 405. Latinam versionem commemoravit Otto n. 1940.

XII 75 a *Ὄνος πεινῶν οὐ φροντίζει ῥοπάλου: ἐπὶ τῶν διὰ τὴν γαστέρα καὶ πληγὰς καὶ ὕβρεις ὑπομενόντων.*

Erasm. II, 7, 48 habet: *Ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ* i. e. Asinus esuriens fustem negligit. Simile exstat Macar. IV 14 *Ἔργον ὄνον ἀποτρέψαι κνώμενον.* Cf. etiam Arist. Eth. ad Nicom. III 11: *ἐπεὶ οὕτω γε κἂν οἱ ὄνοι ἀνδρεῖοι εἶεν πεινῶντες· τυπτόμενοι γὰρ οὐκ ἀφίστανται τῆς νομῆς* et Il. *Λ* 558 sq.

XII 76 *Ὃν ἡ τύχη μέλανα γράψει, τοιοῦτον ὁ πᾶς χρόνος οὐ δύναται λευκᾶναι: ἐπὶ τῶν δυστυχῶν ἄγαν.*

Erasm. I, 2, 92: Quem fortuna nigrum scripserit, hunc non universum aevum candidum reddere potest... Allusum est ad nigros et albos calculos suffragiorum.

XII 77 *Ὃν οὐ τύπτει λόγος οὐδὲ ῥάβδος: ἐπὶ τῶν μὴ πειθομένων τοῖς εἰσηγουμένοις τὰ βέλτιστα.*

Receptum est a Katziule n. 1752. Simile dictum in coll. Warn. inest p. 91 s. v. *νόμος*: *Ὅποιον δὲν τύπτει ὁ νόμος τύπτει ἡ ῥάβδος.*

XII 78 a *Ὄνου πληγῶν ἄξιος.*

XII 78 b *Ὀνείρατά μοι λέγεις: ἐπὶ τῶν ἄπιστα καὶ ἀδύνατα διηγουμένων. ὅθεν καὶ ἡ κοινὴ καὶ δημώδης παροιμία· τοῦτο κατ' ὄναρ εἶδες.*

Similiter Apost. XII 88 *Ὄναρ λέγεις ἢ γρῖφον.*

XII 79 *Ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ: ἐπὶ τῶν ἀνάρμοστα ποιούντων.*

Erasm. III, 3, 39: Asini caput ne laves nitro. Ne multum sumptus operaeve impendas in rem vilem ac sordidam.

XII 87 d *Ὄνος εἰς μάρτυν ὀγκᾶται: ἐπὶ τῶν ἐγκαίρια ποιούντων.*

Ex fabella haustum videtur.

XII 90 *Ὄνου οὐρὰ τηλίαν οὐ ποιεῖ: ἐπὶ τῶν ἀνωφελῶν.*

Rem explanavit Erasm. IV, 2, 56: Asini cauda non facit cribrum, ubiquis ad hoc aut illud dicetur inutilis. Cribrum e pilis equinis fieri consuevit non e villis asiniae caudae. Suspicor hoc ex huius aetatis faece sumptum ab Apostolio.

XII 94 *Ὄπισθεν κεφαλῆς ὄμματ' ἔχει: ἐπὶ τῶν πανούργων.*

Erasm. III, 3, 4: In occipitio oculos habet. De versutis et circumspectis, quosque neutiquam proclive sit fallere. — Hoc Crusius l. s. p. 413 comparavit cum Planudis n. 150 (148): *Ἔμπροσθέν σου μὴ κλέψῃς καὶ ὄπισθέν σου μὴ στραφῇς περιβλέψασθαι* et Otto n. 1263 cum Plauti versu Aulul. 64: Quae in occipitio quoque habet oculos pessima.

XII 97 *Ὁ πηλὸς ἢν μὴ δαρῇ κέραμος οὐ γίγνεται: ὅτι ἐκ τῶν πόνων καὶ παθημάτων οἱ ἄνθρωποι τελειότεροι γίνονται.*

Erasm. III, 3, 42: Lutum ni tundatur, non fit testa. Citra laborem nullus evadit in virum absolutum. Et hoc ni fallor Apostolius hausit a vulgi faece. — Eandem interpretationem atque Apostolii aliis verbis expressit Katziules n. 1981: *ἐπὶ τῶν ἄνευ πόνων μὴ δυναμένων εἰς τελείαν ἀρετὴν ἀφικέσθαι.* Hoc proverbium inest etiam in coll. Warn. p. 100 s. v. *πηλός: Ὁ πηλὸς ἂν δὲ δαρθῇ*

κέραμος δὲ γίνεται et in Plan. coll. n. 206: *Ὁ πηλὸς ἂν μὴ τύφθῃ, κέραμος οὐ γίγνειται.* Cf. Otto n. 1255.

XII 100 *Ὄρνις ζητεῖς, ἀνέμους θηρεύεις: ἐπὶ τῶν μάτην κοπιόντων.*

Rectiorem scripturam *κοπιώντων* praebent codd. A Z vide adnot. Prius proverbium Erasm. III, 3, 44 explicavit: Aves quaeris. Rem vagam et captu difficilem sequeris.

XIII 2 *Ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται, ἄνθρωπος δ' ἀνθρώπῳ: ἐπὶ τῶν ἀσυμπαθῶς πρός τινας διακειμένων.*

Ex Apostolio sumpsit hoc Katziules n. 1771. Priorem partem Erasm. recepit et interpretatus est III, 3, 45: Mons cum monte non miscetur.

XIII 10 *Ὅστις κύνα τρέφει ξένον, τούτῳ μόνον λῖνος μένει: ἐπι τῶν ματαίως πονόυντων περὶ ἐκεῖνα, οἷς οὐ μόνον κερδανοῦσιν ἀλλὰ καὶ ἀπολέσουσιν.*

Pro *λῖνος* coniecit Leutsch *λίνον.* Erasm. III, 3, 46 habet lectionem *ὅς κύνα κτλ.* Sane praeferendum est *ὅστις,* quod metro convenit, est enim tetrameter trochaicus. Optime, ut solet, rem explanavit Erasm. l. s.: Qui canem alit peregrinum, huic praeter linum nihil fit reliqui. Qui beneficium collocat in ingratum perdit operam. Nam canis alienus relicto fune quo alligatur, pristinum dominum repetit. Sapit et hoc vulgare quiddam mea quidem sententia. — Alia versio huius adagii legitur in coll. Warn. p. 109 s. v. *σκύλος* n. 5: *Ξένο σκύλο κι ἂν θρέφῃς, μόν' τὰ κόπρια του ἀπομένουν.* Praeterea invenitur apud Katziulem p. 127: *Περὶ ἀχαρίστων.*

XIII 10 i *Ὅσις δὶς ναυαγήσει μάτην μέμφεται Ποσειδῶνα: παρόσον δεῖ τὸν ἅπαξ ἀπατηθέντα μὴ ἀπατηθῆναι δίς.*

Latina versio huius dicti exstat apud Publ. Syr. p. 83 n. 264 W.: Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. Cf. Meyer: Eine Samml. von Sentenzen des Publ. Syr. p. 17 sq. et Otto n. 1203.

XIII 25 *Οὐ τὸ οὖρον καθαρὸν ἀποκρίνει τὸν ἰατρόν.*

Scripturam *οὖ* pro *οὐ,* quam Pantinus proposuit, Katziules n. 1876 exhibet. Praeterea Kurtz Jahrb. f. Philol. 1891 p. 8 *ἀποκρίνει*, quia intellegi non potest, in *ἀποκλίνει* mutavit. De voce *ἀποκλίνειν* confer etiam Apost. VI 8 b. Commemorandum est hoc dictum homoioteleuton esse.

XIII 33 *Οὗτος ὁ καθήμενος ἱσταμένῳ ἔοικεν: ἐπὶ τῶν σπουδαίων καὶ διὰ τὸ σπεύδειν μὴ βουλομένων ἀμερίμνως καθῆσθαι.*

Receptum est a Katziule n. 1877.

XIII 43 a *Οὐδ' ἀπομύξασθαι σύνοιδεν: ἐπὶ τῶν ἐπιεικῶς ἀνοήτων.*

Cf. Zielinski Quaest. com. p. 48 sq.: Ut emunctae naris apud Romanos homo scitulus et callidus dicitur, ita qui nullam nasi curam habet apud omnes populos pro inculto et stupido habetur. Hinc *κορυζῶν· μεμαρωμμένος* et *κορυζᾷ. μωραίνει* (Hesych item Suidas s. v. *κόρυζα*) . . . . Idem quod *κόρυζα* valet *μύξα*. — Simile dictum apud Planudem invenitur n. 175: *Εἴδομεν καὶ πολίτην μυξῶντα.*

XIII 78 *Ὁ φεύγων μύλον ἄλφιτα φεύγει: ἐπὶ τῶν ἑκουσίως ἀποβαλλομένων τὰ σφίσι πρόσφορα.*

Erasm. III, 3, 59: Qui fugit molam fugit farinam. Qui refugit industriam non fruetur emolumentis. Nauck: Mélanges Gréco-Rom. III p. 152 paroemiacum subesse censet articulo deleto.

XIII 79 *Ὄφις ἣν μὴ φάγῃ ὄφιν δράκων οὐ γενήσεται.*

Erasm. III, 3, 61: Serpens nisi serpentem edat non futurus est draco . . . . Quamquam mihi quidem et hoc dictum faecem vulgi videtur olere. — Ad hunc versum octonarium trochaicum hanc explicationem adiecit Katziules n. 1895: *Ἐπὶ δυναστῶν καὶ τυράννων ταῖς*

<οὐσίαις> τῶν ἀλλοτρίων δι' ἁρπαγῆς αὐξομένων. Invenitur etiam in coll. Warn. p. 58 s. v. *δράκος: Ἂ δὲ φᾷς δράκον, δράκος δὲ γίνεσαι.*

XIII 84 *Ὄψον ἄριστον πόνος τῷ γήρᾳ: ὅτι δεῖ πονεῖν ἐν νεότητι, ἵνα πρὸς γῆρας ἔχῃ.*

Derivandum esse videtur e dicto, quod diversis auctoribus tribuitur (cf. adnot.): *Ὁ αὐτὸς ἰδὼν νεανίαν φιλοπονοῦντα ἔφη· κάλλιστον ὄψον τῷ γήρατι ἀρτύεις.* Erasmus, qui III, 3, 65 explicat: Optimum opsonium senectuti labor, opinatus est adagium mutilum esse et scribendum *πόνει.*

XIII 86 a *Πάντα τὸν βοῦν ἔφαγε κ' εἰς τὴν οὐρὰν ἀπέκαμεν: ἐπὶ τῶν τελεσάντων τὸ πλεῖον μέρος τινὸς ἔργου, τοῦ λοιποῦ δὲ καὶ βραχέος ὀλιγορούντων.*

Hoc quoque proverbium Erasmus vertit et explicavit III, 3, 68: Toto devorato bove in cauda defecit. Hoc est reliquo negotio peracto in extremo fine delassatus est. — Versus sunt trochaici Byzantini. Idem proverbium paulo infra Apost. XIII 97 iterum occurrit: *Πάντ' ἐνταγὼν τὸν βοῦν κτλ.,* ubi iambicum rhythmum sapit. Hanc versionem recepit Katziul. n. 1918. Praeterea in multis aliis collectionibus invenitur. Codex F habet: *Ὅλον τὸ βοΐδιν ἔφαγε καὶ εἰς τὴν οὐρὰν ἀπεστάθη,* et codices GHIKL consentiunt in scriptura: *Ἄλλος ἔφαγε τὸν βοῦν καὶ εἰς τὴν οὐρὰν ἀπεστάθην* (Krumb. Mgs p. 77, 118, 140 et Pol. I, 7). Paulo differt scriptura cod. N n. 3 (Pol. I p. 34), qui praebet: *Καὶ ἄλλος ἔφαγε τὸ βοΐδιον ὅλον καὶ εἰς τὴν οὐρὰν ἀπεστάθη,* ubi sicut in Planudis n. 1: *Ὅλον τὸν βοῦν ἔφαγε, κατὰ δὲ τὴν κέρκον ἀπηγόρευσε* metrum diruturum est. In uno quoque proverbio collectionis Warn. bos comeditur p. 44 s. v. *βόδι* n. 1: *Ὅλο τὸ βόδι ἐφάγαμε καὶ στὴν οὐρὰν ἀπομείναμε,* in altero ut in aliis neograecis proverbiis asinus p. 46 s. v. *γάδαρος* n. 7:

Ὅλο τὸ γαΐδαρο ἐφάγαμε κτλ. Praeter in his collectionibus hoc dictum in poemate anonymo commemoratur:

Τὸν βοῦν ὅλον φάγοιμι τῆς παροιμίας
Οὐδὲ πρὸς οὐρὰν δυσορεκτήσω τάχα.

(Treu: Philol. N. F. III p. 187.) Exempla huius proverbii, ut his temporibus in vulgi ore versantur, collegerunt Foy: Bezzenb. Beitr. 14 p. 48 et Meyer: Byz. Z. III p. 401.

XIII 92 *Πᾶν 'μοι τὸ χρέος κρόμμυα καὶ τὸ τίμημα σκόροδα: ἐλλείπει τὸ εἴη: ἐπὶ τῶν ὀλίγα ὀφειλούντων καὶ εὐτελῆ.*

Erasm. III, 3, 36: *Πᾶν μοι χρέος κτλ*: Universum aes alienum cepe et mulcta allium. . . . Nonnihil vereor, ne et hoc Apostolius hauserit non ex auctoribus priscis sed e suis combibonibus. — Katziules n. 267 pro *εὐτελῆ* falso scripsit *ἀτελῆ*: *Ἄπαν ἡμῖν τὸ χρέος κρόμμυα εἴη: ἐπὶ τῶν ὀλίγα ὀφειλούντων καὶ ἀτελῆ.*

XIV 57 *Ποῦ γῆς ἢ θαλάττης ὑπῆρχες; ἐπὶ τῶν ἀνοήτων.*

XIV 66 *Πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνους ἔφαγεν: ἐπὶ τῶν ἐμπείρων.*

Antiquae originis esse videtur. Erasm. IV, 2, 49 hanc interpretationem praebet: Multorum festorum Iovis glandes comedit. De sene longoque plurimarum rerum usu docto, perinde valet quasi dicas multas vixit Olympiadas. Quercus autem Iovi sacra.

XIV 75 *Πρὶν ἐσφάχθαι δέρεις: ἐπὶ τῶν πρωθύστερόν τι ποιούντων.*

Erasm. III, 3, 13: Priusquam mactaris excorias.

XIV 94 *Πρὸ τῆς γενειάδος διδάσκεις τοὺς γέροντας: ἡ μὲν παροιμία ἐπιδηλοτάτη.*

Erasm. III, 3, 10: Ante barbam doces senes. Cum imberbis maiorem natu docet. Cf. Otto n. 1421.

XV 7 *Πτωχοῦ φίλοι οὐδ' οἱ γεννήτορες.*

Erasm. IV, 2, 51: Mendico ne parentes quidem amici sunt. Divitiae conciliant amicos. Paupertas nec illos habet amicos, quos natura coniunxit e. q. s. Simile argumentum habet proverbium: *Πτωχὸς πτωχὸν οὐ θέλει καὶ ὁ θεὸς μισᾷ τοὺς δύο* (Krumb. Mgs. p. 126 n. 106).

XV 19 *Ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν: ὅτι οἱ ἐπιμόνως πρός τι σπουδάζοντες αὐτὸ κατορθῶσαι δυνήσονται.*

Vide Erasmi interpretationem III, 3, 3: Stillicidium perpetuum saxum excavat. Admonet nihil esse tam durum, quod non emolliat, nihil tam arduum, quod non efficiat assiduitas e. q. s. Hic trimeter Byzantinus ex dicto Choerili formatus esse videtur (Kinkel fr. epic. gr. I p. 271 fr. 10): *Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐδελεχείῃ.*

XV 46 *Σίδηρον πλεῖν διδάσκει: ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων.*

XV 53a *Σκύτους ἕνεκα δέρεται κύων, κεῖνος δὲ σκυτοτραγεῖ: ἐπὶ τῶν γευσαμένων κακίας τινὸς καὶ οὕτω μὴ ἀποπαυομένων ἐκείνης.*

Vide adnotationem ad Greg. Cypr. P. III 97 et Otto n. 325. In comparationem vocari potest fragmentum, quod Antiphani comico adscribitur: *Κύων μελετήσας σαρκῶν ἀπογεύεσθαι φυλάττειν οὐκέτι δύναται τὴν ἀγέλην.* (Com. Gr. fr. III p. 160 Mein.).

XV 60 *Σπάνιον εἴσαγε σὸν πόδα πρὸς σὸν φίλον, ἵνα μὴ πλησθείς σου μισήσῃ σε.*

Ex florilegio quodam fortasse natum est cf. adnot. Videtur haec sententia explicatio esse posterioris partis proverbii vulgaris, quod saepius in proverbiorum collectionibus occurrit. Legitur enim in codicibus FGIKN (Mgs p. 78 et 143 et Pol. I p. 47): *Ὅπου φιλεῖς μὴ δανείζῃς καὶ ὅπου ἀγαπᾷς μὴ συχνάζῃς* et in codicibus H et L (Mgs l. s. et Pol. I p. 7): *Ὅπου φιλεῖς μὴ δάνειζε καὶ ὅπου ἀγαπᾷς μὴ σύχναζε.* Similiter legimus apud Katziulem n. 1724: *Ὃν ἂν φιλεῖς μὴ δάνειζε, ᾧ δὲ ποθεῖς μὴ σύχναζε:*

ὁ μὲν γὰρ μὴ διδοὺς λυπήσει, ὁ δ' ἐμπλησθείς σου μισήσει σε, quae explicatio cum Apostolii versione magnam habet similitudinem. Posterior tantum pars huius proverbii invenitur etiam in Planud. coll. n. 33: *Ἔνθα ἐρᾶς μὴ θάμιζε* et in coll. Warn. p. 118 s. v. *φίλος* n. 4: *Μὴ πᾶς συχνὰ στὸ φίλο σου καὶ ὁ φίλος βαρεθῇ σε.* Latinam versionem habet Publ. Syr. p. 106 n. 572 W.: Rarum esse oportet, quod diu carum velis cf. Otto n. 1507.

XV 62 *Στελαγμὸς οἴνου μυρίοις χοεῦσιν ὕδατος οὐ μίγνυται: ἐπὶ τῶν διαλυομένων καὶ μεταβαλλομένων.*

Scribendum est *σταλαγμός* cf. adnot. Hoc dictum explicavit Erasm. IV, 2, 58: Gutta vini non miscetur aqua saepius infusa. Cum paululo boni nimia mali vis admiscetur. Diluitur enim et evanescit si pauxillum vini plurima corrumpas aqua.

XV 63 *Στρατηγοῦ παρόντος πᾶσα ἀρχὴ πανσάθω.*

Katziules n. 344 habet: *Ἀρχηγοῦ παρόντος κτλ.*

XV 81 h *Στρύχνον ἔπινεν: ἀντὶ τοῦ μανιώδης ἐγένετο. ἔστι δὲ βοτάνη, ἧς οἱ γευσάμενοι εἰς μανίαν τρέπονται.*

XV 95 d *Τὰς μηχανὰς μετὰ τὸν πόλεμον κομίζει: ἐπὶ τῶν προθυμουμένων βοηθεῖν ὅτε οὐ χρεία.*

Commemoratum est in Bruti epistula ad Lycios p. 112 Cuiac.: *αἱ μηχαναὶ ὑμῶν μετὰ τὸν πόλεμον, ὡς ἡ παροιμία, ἐκομίσθησαν.*

XVI 10 *Τὰ σῦκα σῦκα λέγω καὶ τὴν κάρδοπον: ἐπὶ τῶν τὰ ἀληθῆ λεγόντων ἀνεπιφθόνως.*

Leutsch proposuit hanc emendationem: *Τὰ σῦκα σῦκα γὰρ λέγω καὶ κάρδοπον Τὴν κάρδοπον.* Similia exstant in versu comici cuiusdam, qui legitur apud Apost. I 24a *Ἄγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγων* et Apost. XV 95 b *Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγει.* Commemoratur etiam ab Luc. de hist. conscr. 41 *ὡς ὁ κωμικός φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην δὲ σκάφην ὀνομάζων.*

XVI 35a *Τέττιγας ἐσθίεις: ἐπὶ τῶν διὰ λιχνείαν καὶ τὰ οὐδενὸς ἄξια ἐσθιόντων.*

XVI 46a *Τῆς αὐτῆς κεραμίας: ἐπὶ τοῦ ὁμοίου καὶ παραπλησίου.*

Invenitur etiam Macar. VIII 15.

XVI 49 *Τὴν Χάρυβδιν ἐκφυγὼν τῇ Σκύλῃ περιέπεσον.*

Erasm. I, 5, 5: Evitata Charybdi in Scyllam incidi, hoc est, dum vito gravius malum in alterum diversum incidi. — Eiusdem argumenti proverbia collegit Krumb. Mgs p. 199sq. Alia eiusmodi exstant Apost. VIII 5: *Ἔτρεχέ τις μὴ βρεχθείη* - et Mant. Prov. III 49: *Ψύχος φυγὼν εἰς βόρβορον ἔπεσον.* Cf. Otto p. 82 adnot.

XVI 49b *Τὴν ἀμίδα σανδάλῳ ἐπιφράττεις: ἐπὶ τῶν μικροῖς μεγάλα ἐπιχειρούντων.*

XVI 51 *Τὴν ἡμέραν πᾶσαν σήθη, ὃς οὐ βούλειται ζυμῶσαι.*

Sane accipienda est scriptura editionis Pantinianae, quae praebet *σήθει.* Est versus octonarius trochaicus, qui similiter exstat apud Hermodorum Rhegium in Adag. MSS. v. v. *μέρα* p. 906 Du Cange: *Ποῦ δὲν θέλει νὰ ζυμώσῃ, πέντε μέραις κοσκινίζει.*

XVI 74 *Τίς χρεία πυθομένου κρομμύου: ἐπὶ τῶν ἀχρήστων.*

Idem habet Katziules p. 125 n. [69], qui explicat: *ἐπὶ ἀχρήστων. πυθομένου δὲ ἤτοι σεσηπότος.*

XVI 83 *Τὸ εὔωνον κρέας οἱ κύνες ἐσθίουσιν: ἐπὶ τῶν διὰ φειδῶ πλείονος διαπάνης φαῦλα ὤνια ἐωνημένων.*

Sane scribendum est *δαπάνης.* De hoc proverbio disputavit Erasm. IV, 3, 37: Parvo emptas carnes canes edunt. Quidam putria emunt opsonia, ne plusculum insumant nummorum. Ea cum nullus attingit, canibus aliquotiens edenda servantur. Sapit et hoc vulgus horum temporum. — Ab Apostolio sumpsit hoc Katziules

n. 2294, qui explicat: *ἐπὶ τῶν τὰ εὐτελῆ ὄψα διὰ φειδωλίαν ὠνουμένων.* Crusius l. s. p. 418 hoc comparavit cum Planudis n. 224 (221): *Τὰ πάνυ λιπαρὰ δυσχεραίνουσι καὶ οἱ κύνες.*

XVI 85 *Τὸ σκαμβὸν ξύλον οὐδέποτ' ὀρθόν: αὕτη δημώδης ἐστὶ καὶ φανερά· τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν διάστροφα ξύλα ἢ πράγματα πειρωμένων κατευθύνειν καὶ μηδὲν ὠφελούντων.*

Hoc proverbium etiam in antiquorum proverbiorum collectionibus invenitur et usque ad nova tempora in usu est. Legitur enim apud Pseudodiogen. VI 92: *Ξύλον ἄγκυλον οὐδέποτ' ὀρθόν: ὅτι δυσχερὲς ἐκ φαύλων ἀγαθοὺς ἀπεργάσασθαι.* Praeterea ab auctoribus Byzantinis commemoratur velut in epistula Michaelis Glycae (Krumb. Mgs p. 235): *Εἰ καὶ ξύλον σκαμβὸν δυσχερὲς ὀρθωθῆναι ἢ καὶ πάντῃ ἀδύνατον* et apud Georg. Akropol.: *Στρεβλὸν ξύλον οὔποτ' ὀρθόν* (Kurtz Philol. N. F. III p. 463). Quo de proverbio egit etiam Lewy Philol. 58 p. 82 et Otto n. 490. Novicium exemplum Papageorgiu Byz. Z. III p. 579 attulit.

XVI 91 *Τὸν οἴκοθεν βρεχόμενον οὐδὲ θεὸς οἰκτείρει· καὶ αὕτη δημώδης.*

Erasm. IV, 3, 38: Qui domi compluitur, huius ne Deum quidem miseret. . . . . Eiusdem farinae cum superiore proverbium, nisi me prorsus fallit nasus. — Hunc versum politicum habet etiam Katziul. n. [70] p. 125, qui explicationem adiecit hanc: *ἐπὶ τῶν ἐξ οἰκείας γνώμης κακῶν.*

XVII 20h *Τὸν ἕβδομον βοῦν ἡ σοφὴ παροιμία.*

Hic trimeter iambicus ex proverbio formatus est, quod legimus Apost. V 8 et Macar. II 89 *Βοῦς ἕβδομος.* Vestigium esse videtur cuiusdam collectionis proverbiorum, in qua adagia in trimetri iambici formam redacta

erant. Aliud exemplum huius generis invenimus Apost. III 4 *Ἄνους ὁ μακρὸς κατὰ τὴν παροιμίαν.*

XVII 66 b *Ὑπὲρ κάρα πτύει: ἐπὶ τῶν ἐπαιρομένων καὶ ὑπερηφανῶν.*

Exstat etiam Macar. VIII 66: *Ὑπὲρ κάρα πτύειν: ἐπὶ τῶν ὑπερηφανῶν.* Cf. etiam supra p. 16.

XVII 75 *Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου: ὅμοιον τῷ Κράτητος καὶ τῷ· ὗς ἐν βορβόρῳ ὑλισπᾶται.*

Erasm. IV, 3, 62: Sus lota rediit ad volutabrum luti, cum quis iterat iam expiata flagitia. — Dictum Cratetis, quod Apostolius spectat, hoc est: *Ὗς διὰ ῥόδων* (Fr. poet. com. II p. 234 Mein.). Hunc trimetrum iambicum Byzantinum Katziul. quoque recepit, qui explicat p. 129 n. [84]: *ἐπὶ τῶν εἰς τὰς αὐτὰς αἰσχρουργίας ἐπιστρεφόντων.* Invenitur etiam apud Greg. Cypr. P. III 93 et commemoratur a Greg. Naz. Or. III p. 70 C: *ὗς ἐν βορβόρῳ κυλισθείς, κατὰ τὴν παροιμίαν.*

XVII 76 *Ὑφάντου πταίσματος ὑπήτης ἐτύφθη: ὅτι πολλάκις ἄλλοί μὲν πταίουσιν, ἄλλοι δὲ ἀπολαμβάνουσιν.*

Erasm. IV, 3, 63 interpretatus est: Ob textoris erratum hypetes vapulavit. — Pro corrupto *ὑπήτης* proposuit Kurtz Jahrb. f. Philol. 1891 p. 8 *ἠπητής* Latinum proverbium: Ob textoris erratum sartor vapulavit in comparationem vocans. Quam sententiam rectam esse confirmat Katziul. n. 35 p. 119: *Ὑφάντου πταίσαντος ἠπητὴς ἐτύφθη. — Ἠπητὴς δὲ ὁ ῥάπτης. ὅτι ἄλλων ἁμαρτανόντων ἄλλοι τιμωροῦνται.*

XVII 83 *Φίλος ἀνεπίκαρπος χείρων ἐχθροῦ.*

Simile in coll. Warn. p. 118 s. v. *φίλος* n. 6: *Ὁ φίλος ἐπιτίμος ἐχθρὸς καλεῖται.* Amicus noxius vocatur inimicus.

XVIII 8 *Χαίροις Ὑψιπύλη φίλη. τοὺς ἐμοὺς κορύμβους πλέκω. οὔ σοι λέγω περὶ τούτου. οὑμὸς ἄκοιτις ἐνταῦθα:*

ἡ παροιμία τάττεται ἐπὶ τῶν λεγόντων ἀσύμφωνα καὶ ἀκατάλληλα. ὁμοία τῇ: Ἐγὼ σκόροδά σοι λέγω, σὺ δὲ κρόμμυ' ἀποκρίνῃ.

Hoc ex aliquo comoediae loco sumptum esse Erasmus censet, qui III, 2, 96 vertit: Salve Hypsipyle. Meos corumbos necto. Non tibi loquor ista de re. Maritus meus hic est? — Similia etiam in aliis collectionibus inveniuntur velut apud Katziulem p. 120 n. 42: *Ἐπὶ τῶν ἀσύμφωνα λεγόντων: Χαίροις, φίλε. — Κυάμους σπείρω* et in coll. Warn. p. 49 s. v. *γεωργός. Καλῶς κάμνεις, γεωργέ; Κουκκιὰ σπέρνω.* Bene valeas agricola? Ille respondet: sero fabas. De praepostero responso. Praeterea ibidem p. 50 s. v. *Γιάννης* n. 5: *Ὑγιεία σου, Γιάννη; Κουκκιὰ σπέρνω.* Idem inest in Adag. MSS. Hermodori Rhegii Du Cange p. 726 s. v. *κουκί* et p. 1421 s. v. *σπέρνω. Ὑγιεία σου, Ἰάννη; Κουκιά σου σπέρνω.* Quo de proverbio Crusius l. s. p. 422 et Krumb. Mgs p. 14 sq. uberius disputaverunt.

XVIII 8 b *Χαίρει ταῖς κατάραις τὸ κύμινον: ἐπὶ τῶν μηδὲν ἀπὸ κατάρας βλαπτομένων.*

Cf. Theophrast. Hist. Plant. VII, 3, 3: *Ἴδιον δὲ καὶ ὃ λέγουσι κατὰ τούτου [τοῦ κυμίνου]· φασὶ γὰρ δεῖν καταρᾶσθαι τε καὶ βλασφημεῖν σπείροντας εἰ μέλλει καλὸν ἔσεσθαι καὶ πολύ.*

XVIII 46 *Χώρα καὶ νόμος: ὁμοία τῇ· Πόλις καὶ τύπος.*

Hoc comparavit Crusius l. s. p. 415 cum Planudis n. 201 (199): *Πόλις καὶ νόμος, κώμη καὶ ἔθος.* Apostolii formam recepit Katziul. p. 122 n. 50: *Ὅτι ἕκαστον ἔθνος ἔθος ἴδιον ἔχει.* 1. *Κατὰ χώραν καὶ τὸ ἔθος.* 2. *Νόμος καὶ χώρα.* In coll. Warn. p. 112 s. v. *τύπος* n. 2 legitur: *Κάθε τόπος καὶ τύπος.* Quivis locum suum habet modum.

XVIII 52 *Ψεκάδες ὄμβρον γεννῶσαι λιμνάζουσιν ὕδατα: ἐπὶ τῶν κατὰ μικρὸν ἐπὶ τὰ μείζω χωρούντων.*

Erasm. I, 3, 2: Minutae guttulae imbrem parentes. Quoties res initio pusilla crescit in maius.

Quaedam proverbia vulgaria etiam in Mantissa Proverbiorum exstant (cf. Corpus paroem. Gr. t. II praef. p. XV). Sunt autem haec:

I 26 *Ἄρτον οὐκ εἶχεν ὁ πτωχὸς καὶ τυρὸν ἠγόραζεν.*

Paulo aliter hoc proverbium exstat in cod. Mosq. n. 85 p. 410: *Ἄρτον τις φαγεῖν οὐκ ἔχων προσφάγιον ἐζήτει* et apud Katziulem n. 734: *Εἶ τυρὸν εἶχον οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψον: ἐπὶ τῶν τοῖς ὀλίγοις καὶ αὐτοσχεδίοις ἀγαπώντων.* Metrum in ea versione, quam Mant. Prov. exhibet, versus politicus est.

I 87 *Κάλλιππος τρέχει: ἐπὶ τῶν πολλὰ μελλετώντων ποιῆσαι, ὀλίγα δὲ δρώντων. τοιοῦτος γὰρ ὁ Κάλλιππος.*

Cuius mentionem faciunt Cicero ad Att. 13, 12, 3: Biennium praeteriit, cum ille Callippides assiduo cursu cubitum nullum processerit et Suet. Tib. 38: Ut vulgo iam per iocum Callippides vocaretur, quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Graeco notatum est. De nomine Callippo sive Callippide egerunt Otto n. 305 et Crusius Wochenschr. f. klass. Philol. 1891 p. 430.

I 99 *Λίθοις τὸν ἥλιον βάλλει: ἐπὶ τῶν διακενῶς κοπιώντων.*

Idem argumentum habet Apost. VI 57 *Εἰς οὐρανὸν πτύεις* et XVII 66 b *Ὑπὲρ κάρα πτύει.*

II 58 *Πίσσα ναυπηγῶν καὶ ἐλέγχεα πάντα καλύπτει: ἐπὶ τῶν πλαστῷ βίῳ χρωμένων καὶ μὴ ἐλεγχομένων.*

Receptum est a Katziule n. 1988.

II 70 *Πρὸ ποταμῶν ἀναστέλλεται: ἀντὶ τοῦ ἀνατείνει τὰ ἱμάτια: ἐπὶ τῶν ἀκαίρως τι δρώντων.*

Hoc ipsum vel simile dictum in multis collectionibus invenitur. Maxime cum hac scriptura consentit Katziules n. 2050: *Πρὸ ποταμῶν ἀναστέλλει τὰ ἱμάτια: ἐπὶ τῶν τοὺς καιροὺς προλαμβανόντων* et cod. Mosqu. n. 79 p. 409: *Πρὸ ποταμῶν μὴ ἀναστέλλου.* Aliae autem scripturae ab his discedunt. Planudes n. 215: *Πρὸ ποταμοῦ τὰς ἐσθῆτας σου αἶρε* habet doctam paraphrasin scripturae cod. F n. 47: *Πρὶν ποταμοῦ τὰ ῥοῦχά σου σήκωσον* (Krumb. Sitzungsber. d. bayr. Akad. 1887 p. 70 et 90). Similiter praebent codices H et L: *Πρὶν τοῦ ποταμοῦ τὰ ἱμάτιά σου σίκονε* (H) *σήκωνε* (L) (Mgs. p. 121 et Polites I p. 9), cod. I: *Πρὶν ποταμοῦ ἄνω τὰ ἱμάτιά σου σίκονε.* (Mgs. p. 121), cod. M: *Πρὶν ποταμοῦ τὰ ἱμάτιά σου σήκωνε* (Pol. I p. 15), codd. P Q: *Πρὶν τοῦ ποταμοῦ σήκωνε τὰ ῥοῦχά σου* (Pol. I p. 57), coll. Warn. p. 104 s. v. *ποτάμι* n. 2: *Πρὶν κατέβη ὁ ποταμὸς φύλαξε τὸ ῥοῦχο σου.* Negraecum exemplum attulit Foy: Bezzenb. Beitr. 14 p. 48: *Εἰς τὸ σιγαλὸ ποτάμι σήκωσε ψαλὰ τὰ ῥοῦχα,* quod magnam habet similitudinem cum coll. Warn. p. 104 s. v. *ποτάμι* n. 1: *Ἀπὸ σιγανὸ ποτάμι, μάζωνε τὰ ῥοῦχα σου.* Qui re magis nocent quam specie videntur.

II 99 *Τί μὴ διώκεις τὴν εὐθεῖαν ἀλλὰ πλανᾷ; ἐπὶ τῶν μὴ κατευθὺ βαδιζόντων.*

III 8 *Τοῖς σίτου ἀποροῦσιν οἱ ὄροβοι: δήλη.*

III 12 *Τὸν ἐν κάλυξι καθήμενον εἴρειν χρὴ στεφάνους: ἐπὶ τῶν μὴ ἀργούντων.*

III 47 *Χρῷ τῇ σεαυτοῦ λύρᾳ μὴ τῇ τοῦ πέλας: ἐπὶ τῶν περὶ τὰ ἀλλότρια σπουδαζόντων.*

Trimeter iambicus est novicia arte factus.

III 48 *Ψόγος ἀνιάτρων ἔπαινος ἄντικρυς ἰατρῶν.*

III 49 *Ψύχος φυγὼν εἰς βόρβορον ἔπεσον: ἐπὶ τῶν φευγόντων μικρὰ κακὰ καὶ εἰς χείρονα ἐμπιπτόντων.*

Diiudicari nequit, sitne proverbium haec sententia an excerptum. Cf. Liban. Epist. 1683 fin.: *Ἀλλ' ἐγὼ κλαίω, εἴ με δεήσει διὰ φίλων φιλονεικίαν φεύγοντα ψύχος εἰς βόρβορον ἐμπεσεῖν.*

Haec proverbia vulgaria omnia sunt, quae in Apostolii collectione, cui Mantissam Proverbiorum quae dicitur subiunximus, reperiri possunt. Praeter ea autem fontem recentiorem ab Apostolio adhibitum etiam numerosas exhibuisse locutiones, quae ex fabulis fluxerunt et in proverbialem venerunt usum, verisimillimum est. Quapropter hae quoque separandae atque componendae erant, in quas tractandas nunc incidet oratio.

III 21 c *Ἀνδρὸς μείζονος μὴ κοινώνει: παραινετικὴ ἡ παροιμία.*

Genitivus personae falsus est et dativus restituendus. Hoc dictum sumptum est ex fabula, quae refertur inter Aesopeas cf. Aesop. ed. Halm n. 258 et Babr. 67: *Μέτρει σεαυτόν · πρᾶγμα μηδὲν ἀνθρώπῳ δυνατωτέρῳ σύναπτε μηδὲ κοινώνει.*

VI 40 *Δυεῖν ἐπιθυμήσας οὐδετέρου ἔτυχες; ἐπὶ τῶν ἄγαν πλεονεκτούντων, οἵ δια πλεονεξίαν καὶ τὰ ἑαυτῶν ἀποβάλλουσιν.*

Iteratur Apost. XII 33 a *Ὁ δυοῖν ἐπιθυμήσας κτλ.* Eadem sententia expressa est Apost. XII 97 c *Ὁ πλειόνων ἐρῶν καὶ τῶν προσόντων ἀποστερεῖται, Αἰσώπου* et Apost. XII 33. Quae omnia ad notissimam illam Aesopi fabulam referenda esse videntur, quae narratur de cane carnem gestante cf. Aes. ed. Halm n. 233.

VI 77 *Εἰ μὴ σὺ λέγεις ἀπὸ τοῦ δέρματος φαίνῃ: ὅτι τοὺς ψευδομένους αἱ πράξεις ἐλέγχουσιν.*

Cf. Aesop. ed. H. n. 37 *Ἡ ἀλώπηξ ὑποτυχοῦσα ἔφη: „Ἀλλὰ κἂν σὺ μὴ εἴπῃς, ἀπὸ τοῦ δέρματος φαίνῃ“.* Hoc explicatum est ab Erasmo III, 4, 91: Etiamsi non dicas, pelle prae te fers. Res ipsa redarguit mendacem.

VI 84 a *Εἰ θέρους ὥραις ηὖλεις χειμῶνος ὦρχου: ἐπὶ τῶν παρὰ καιρὸν πραττόντων τὰ ἑαυτῶν.*

Scribendum est *ὄρχου*, quod Katziules quoque habet n. 28 *Ἐπὶ τῶν ἀκαίρως τι πραττόντων.* Natum est ex nota illa fabula de cicada et formicis, cf. Aes. 401 *H. Οἱ δὲ γελάσαντες εἶπον: „Ἀλλ' εἰ θέρους ὥραις ηὔλεις χειμῶνος ὄρχου“* et Babr. 140 *„Χειμῶνος ὀρχοῦ, φησιν, εἰ θέρους ηὔλεις“.*

VII 38 *Ἐν ψύλλας δήξει θεὸν ἐπικαλεῖται: ὅτι οὐ δεῖ ἐπ' ἐλαχίστων τοῦ θείου δεῖσθαι καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπικαλεῖσθαι.*

Erasm. III, 4, 4: In pulicis morsu deum invocat, in eos dictum, qui quantumlibet levi de re graviter perturbantur perinde ut in maxima. — Fabula, unde natum est, narratur Aesop. n. 424 et 424 b Halm.

VIII 43 *Ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν: ἐπὶ τῶν τὰ ξένα ἐπιθυμούντων καὶ προσαποβαλλόντων τὰ ἴδια.*

Erasm. III, 5, 8: Camelus dum affectat cornua et aures insuper perdidit e. q. s. Idem dictum Apost. IX 59 b iteratur *κάμηλος κτλ.: οἱ τὰ ξένα ζητοῦντες ἀπαλλοτριοῦνται καὶ τῶν οἰκείων,* unde Katziul. sumpsit n. 1197: *ἐπὶ τῶν τῶν ἀλλοτρίων ἐφιεμένων καὶ οὕτω τὰ ἴδια ἀφαιρουμένων.* Vulgarem formam huius dicti exhibet coll. Warn. p. 66 s. v. *καμήλα: Ἡ καμήλα γυρεύοντας κέρατα ἔποψαν καὶ τ' αὐτιά τῆς,* Latinam versionem Ps.-Publ. Syr. p. 121 n. 64 W.: Camelus cupiens cornua aures perdidit. Natum

est hoc proverbium ex fabula cf. Aesop. 184 H. et Babr. 161. Cf. etiam Lewy Philol. 58 p. 85.

VIII 83 *Θαλάττιος ὢν μή πως χερσαῖος γένῃ: ἐπὶ τῶν καταλιμπανόντων τὰ οἰκεῖα ἐπιτηδεύματα καὶ τοῖς μὴ προσήκουσιν ἐπιχειρούντων.*

Erasm. III, 5, 11 habet hanc lectionem huius trimetri: *Θαλάττιος δ' ὢν μήποτε χερσαῖος γένου,* quam explicat: Si sis marinus abstine a terrestribus. Admonet non mutandam condicionem ne in melius quidem e. q. s. Ex Aesopi fabulis fluxit cf. n. 186 H., ubi sub finem legitur: *Ὁ δὲ .... ἔφη. „Ἀλλ' ἔγωγε δίκαια πέπονθα, ὃς θαλλάττιος ὢν χερσαῖος ἐβουλήθην γενέσθαι."*

IX 50 *Κάρκινος ὀρθὰ βαδίζειν οὐ μεμάθηκεν: ἐπὶ τῶν ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων περί τι φαῦλον.*

Natum est ex apologo v. Aesop. Fab. n. 187 Halm.

IX 97 *Κόκκος σίτου προυξένησε θάνατον: ἐπὶ τῶν διὰ κέρδος εὐτελὲς μέγαν ὑφισταμένων κίνδυνον.*

Aesop. n. 209 H. *Κορυδαλλὸς .... θρηνῶν ἔλεγεν. „Οἴμοι .... κόκκος δὲ σίτου μικρὸς τὸν θάνατόν μοι προυξένησεν."*

X 96 b *Λύκος ποιμήν: ἐπὶ τῶν μετὰ σχήματος φιλικοῦ ἐπιβουλευόντων τισί.*

Ex fabula derivatum est cf. Aes. 283 H. Antiquum exemplum exstat apud Ps.-Diog. 5, 96 *Λύκος καὶ ὄϊν ποιμαίνει.* Krumb. Mgs. p. 231 simile dictum ex Joanne Climace affert: *Λύκον ἀντὶ ποιμένος.* Cf. etiam Otto n. 983.

XI 90 *Μῦς εἰς τρώγλην οὐ χωρῶν κολοκύνταν ἔφερεν: ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς μὴ δυναμένων καὶ ἄλλοις θελόντων βοηθῆσαι καὶ περιποιήσεσθαι.*

Erasm. III, 3, 79: Mus non potens subire antrum gestabat cucurbitam. In eum congruit, qui cum ipse sibi consulere non possit, aliis conatur opitulari. Videtur

ab apologo natum sed anili, ni fallor. — Quo de proverbio egit Crusius l. s. p. 421, qui fabulam de bello murum et mustelarum subesse censet et locum Babrii I 31 v. 17 in comparationem vocat: *ἄλλοι (μύες) μὲν οὖν σωθέντες ἦσαν ἐν τρώγλαις* || *τοὺς δὲ στρατηγοὺς εἰστρέχοντες οὐκ εἴα* || *τὰ περισσὰ κάρφη τῆς ὀπῆς ἔσω δύνειν*. Ex Apostolio sumpsit id Katziules n. 1592, qui meliorem explicationem profert: *Ἐπὶ τῶν μείζοσι ἐπιχειρούντων τῆς οἰκείας δυνάμεως*. Praeterea invenitur apud Planudem n. 241 (239): *Μῦς εἰς ὀπὴν οὐκ ἐχώρει· ὁ δ' ἐπεσύρετο καὶ κολόκυντον* et in coll. Warn. p. 103 s. v. *ποντικός*: *Ὁ ποντικὸς στὴν τρῦπα δὲν ἐχώρει καὶ κολοκύθι ἔσυρνε.* Mus dum ipse non caperetur foramine una traxit cucurbitam.

XII 33 *Ὁ δύο πτῶκας διώκων οὐδέτερον καταλαμβάνει*: *αὕτη δημώδης καὶ δήλη.*

33 a *Ὁ δυοῖν ἐπιθυμήσας οὐδετέρου ἔτυχεν. ὁμοία τῇ· Ὁ δύο πτῶκας.*

Erasm. III, 3, 3: Qui duos insectatur lepores neutrum capit. Sane posterius, de cuius origine iam antea p. 42 diximus (Ap. VI 40), ex priore derivatum est. Receptum est a Katziule p. 120 n. 44: *Ἐπὶ τῶν πολλὰ μὲν ἅμα ζητούντων λαβεῖν, μηδὲν δὲ καρπουμένων.* Romanis quoque notum fuit cf. Ps.-Publ. Syr. p. 126 n. 186 Wölffl.: Lepores duo qui insequitur is neutrum capit.

XV 51 *Σκιὰ ἀντὶ τοῦ σώματος*: *ἐπὶ τῶν δοκούντων κρατεῖν τι, οὐδὲν δ' ὅμως κρατούντων.*

Bene explicatum est ab Erasmo, qui III, 2, 98 dicit: Umbra pro corpore. Quoties aliquis magnum quiddam videbitur assecutus, cum nihil tandem auferat praeter titulum aut spes meras. Mutuo sumptum ab Aesopica fabula de cane, qui dum umbram carnium, quod eo maior appareret, captat, veras amisit carnes. — Quae

fabula legitur Aesop. n. 233 H. Proverbium usurpavit Greg. Naz. Epist. 185 p. 886 D *καὶ τοῦτο ἕξομεν ἀντὶ τοῦ σκιὰν, ὃ δὴ λέγεται, ἀντὶ σώματος.*

XVI 6 *Τὰ ἐν χερσὶ κρατούμενα μείζονά ἐστι τῶν προσδοκωμένων.*

Cf. Aesop. n. 28 H. *Ὁ λόγος δηλοῖ, ὅτι αἱρετώτερόν ἐστι κέρδος τὸ παρὸν κἂν μικρὸν ἢ τοῦ προσδοκωμένου κἂν μέγα ὑπάρχῃ* et Babr. n. 6. Ex Apostolio sumpsit id Katziules n. 28.

XVI 19 a *Ταῦτα Κυμαίοις, ἐμοὶ δὲ ὄνος εἴη: ἐπὶ τῶν μετὰ δέους ἀνάξια δεδιότων· φασὶ γὰρ τοὺς Κυμαίους ὡς θηρίον δεδιέναι τὸν ὄνον· ὀνηλάτην οὖν φυγόντα ὄνον καὶ σκιρτῶντα παίειν καὶ λέγειν τὸ προκείμενον.*

Apost. XII 84 similiter habet *Ὄνος εἰς Κυμαίαν*, ubi tamen explicat: *ἐπὶ τῶν παραδόξων καὶ σπανίων.* Haec ipsa Suidas praebet s. *Ὄνος εἰς Κυμαίους: ἐπὶ τῶν παραδόξων καὶ σπανίων. διότι παρὰ Κυμαίοις ἐδόκει φοβερὸς εἶναι ὁ ὄνος κτλ.* Aesopi fabulam, unde sumptum est, Luc. Piscat. c. 32 enarrat cf. Halm n. 333 b.

XVIII 60 *Ὦ οἵα κεφαλὴ καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει: ἐπ' ἀνδρῶν μεγαλοπρεπῶν μὲν τῷ σώματι, κατὰ ψυχὴν δὲ ἀλογίστων.*

Vide Erasmi interpretationem III, 4, 40: O quale caput et cerebrum non habet. De his, qui corporis specie praecellunt ingenio carentes. Natum ex apologo, qui circumfertur inter Aesopicos. Vulgo quoque vecordibus et insipidis aiunt cerebro vacuum esse caput. — Fabula narratur Aes. 47 b H. *Ἀλώπηξ εἰς οἰκείαν ἐλθοῦσα ὑποκριτοῦ καὶ ἕκαστα τῶν αὐτοῦ σκευῶν διερευνωμένη εὗρε καὶ κεφαλὴν μυρμολυκείου εὐφυῶς κατεσκευασμένην, ἣ καὶ ἀναλαβοῦσα ταῖς χερσὶν ἔφη: „Ὦ οἵα κεφαλὴ καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει“.*

XVIII 61 *Ὦ οὗτος, κἂν θύλαξ γένῃ οὐ προσελεύσομαί σοι*: *ἐπὶ τῶν ἅπαξ πειραθέντων μοχθηρίας ἐνίων, οὐκέτι δὲ ἐξαπατωμένων τῇ πείρᾳ ταῖς αὐτῶν ὑποκρίσεσιν.*

Aesop. n. 15 H. s. f. *Τῶν δὲ μυῶν τις παρακύψας ὡς θεάσατο αὐτὸν, εἶπεν· „Ἀλλ' ὦ οὗτος, σοίγε, κἂν θύλαξ γένῃ, οὐ προσελευσόμεθα." Ὁ λόγος δηλοῖ, ὅτι οἱ φρόνιμοι τῶν ἀνθρώπων, ὅταν τῆς ἐνίων μοχθηρίας πειραθῶσιν, οὐκέτι αὐτῶν ταῖς ὑποκρίσεσιν ἐξαπατῶνται.*

Quaecumque dicta iam in medium prolata et tractata sunt, in collectione quadam proverbiorum recentiorum exstitisse videntur, qua Apostolius usus est. Priusquam autem in universum de hoc fonte verba facimus, ea Byzantina commemoranda sunt, quae ex auctoribus serioribus ignotis excerpta esse videntur. Inveniuntur enim apud Apostolium versus didactici novicia arte facti et breves formulae prosae orationis, quae nihil vulgare sapiunt sed doctam originem significant.

Tales versus hi sunt:

II 6 *Ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους*
Καὶ νοῦς ἐχέφρων πᾶσαν ἕλκουσαν βίαν.

Duo trimetri iambici sunt Byzantinae artis.

V 19 a *Γάλα τρέφει νήπια, παῖδα δ' ἔμφρονα γάλα πιαίνει σωφροσύνη καθάπερ.*

Emendatio, quam Mueller proposuit *καθάπερ γάλα πιαίνει σωφροσύνη* (cf. adnot.) propterea reicienda est, quod metrum turbatur. Habemus enim tres versus trochaicos Byzantinos: *Γάλα τρέφει νήπια* || *παῖδα δ' ἔμφρονα γάλα* || *πιαίνει σωφροσύνη*. Paraphrasis *καθάπερ*, quae postea addita esse videtur, delenda est.

V 78 k *Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος.*

Hunc trimetrum iambicum Erasm. III, 4, 69 Latine vertit: Mulieris oculus spiculum iuvenibus est.

V 781 *Γυναικὸς αὐδὴ θάνατος νεωτέροις.*

VI 8 b *Δίδασκε σαυτὸν ἀποκλίνειν ἐμφρόνως*
Δρασμῶν ἄνευ λόγων τε και τῶν εὐλόγων
Δρασμοῦ σταγείροις τοῦ πάλαι μεμνημένος.

Hi versus fortasse ex eodem poemate didactico Byzantino nati sunt, unde Apost. II 6 fluxerunt. Vox *σταγείροις* corrupta esse videtur.

VI 67 *Εἰτ' ἂν τί λέγεις ῥήτωρ ὢν φιλοσόφῳ;* Sequitur excerptum ex quodam libro rhetorico.

Hic quoque trimeter iambicus est noviciae artis.

VII 3 *Ἕλκος ἔχω τὸν ἔρωτα· ῥέει δέ μοι ἕλκεος ἴχωρ.*

Hexameter dactylicus est fortasse antiquae originis.

VIII 42 s *Ἦθος φυσικὸν μὴ θετὸν στέργειν φίλει*
Ἢν μὲν γὰρ ἔσχες, τίς ἐπιπλάστου χάρις;
Ἢν δ' αὖ ἁμάρτης φύσεως δυσκληρίᾳ
Ἤνεγκεν οὐδὲν τὸ πεπλασμένον πλέον.

VIII 83 g *Θανὼν καθ' ὕπνους φροντίδων ἔσῃ δίχα.*

Interpretationem praebet Erasm. IV, 1, 18: Curis vacabis mortuus per somnium. Versiculus vulgo iactatus apud Graecos ex superstitiosa insomniorum observatione. Existimabant enim eum qui se mori somniasset a curis molestiisque liberatum iri.

VIII 99 *Ἴαμα γλώττης ἐγκράτεια κοιλίας.*

IX 57 *Κακὸν τὸ καλὸν ἤν τι μὴ καιροῦ τύχῃ.*

Erasm. IV 3, 2: Bonum malum fit tempore datum haud suo. Nihil gratum quod intempestivum e. q. s.

XII 39 b *Οἷα παρ' ἄλλου μὴ παθεῖν ὅλως θέλεις*
Τοιαῦτα καὶ σὺ μὴ δρᾶν ἀνθρώπῳ θέλε.

VIII 16 a *Οὐδεὶς ἀνὴρ τέλειος ἀρετῆς ἄνευ.*

XIII 54 *Οὐδὲν Ὀρέστης πρὸς ἡμᾶς καὶ Πυλάδης: ἐφ' ἑταίροιν ἄγαν ἀλλήλω φιλούντοιν. τούτω γὰρ ἐπὶ φιλίᾳ διαβεβόησθον. ὁμοία τῇ· οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς οἱ Μολιονίδαι.*

XVII 80 *Φάων ὑπάρχεις τῷ κάλλει καὶ τὸν τρόπον.*

Sequentia ex auctoribus Byzantinis prosae orationis excerpta esse videntur:

II 74 a *Ἀμήχανον δ' ἐν εὐπραγίαις φθόνον διαφυγεῖν.*

II 97 *Ἀνὴρ ἀτεχνὴς τοῖς πᾶσίν ἐστι δοῦλος.*

II 97 a *Ἀνοίκειον ἐν τῷ πένθει γεωμετρία: ἐπὶ τῶν τὰ μὴ προσήκοντα ποιούντων.*

II 100 e *Ἀναμὶξ ἀγκύλων ἱππόται: ἐπὶ τῶν μὴ κωλυομένων ποιεῖν τινὰ ἀγαθά, ὑπὸ γραμμάτων ἀγκύλων καὶ σκολιῶν. οἱ δέ ἀγκύλοι γένος φάλαγγος πεζικῆς τῆς ἱππικῆς προμαχόμενοι.*

Fortasse ex Themistio sumptum est cf. Oratt. XXI 256 D: *νῦν δὲ ἤδη τινὲς ὑπὸ θράσους μεταβαίνουσιν ἐκ τῶν τάξεων ἀναμὶξ δι' ἀγκύλων ἱππόται κτλ.*

III 43 a *Ἅπαντα τῷ πλουτεῖν ἐσθ' ὑπήκοα.*

III 100 *Ἀρετῆς τὸ βάρβαρον οὐ ξυνίησιν: ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων.*

IV 58 *Ἀφροδίτη καὶ Διόνυσος μετ' ἀλλήλων εἰσί: παρόσον ἡ μία δύναμις τὴν ἑτέραν κινεῖ.*

Natum esse videtur ex Arist. Probl. 30, 1 p. 953, 30 Bekk. *ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ' ἀλλήλων εἶναι.* Cf. Apost. XII, 2.

VIII 7 *Εὐτυχία πολύφιλος.*

Erasm. III, 5, 4: Felicitas multos habet amicos.

VIII 55 b *Ἡ μὲν γὰρ τύχη πᾶσι κοινόν· ὁ δὲ ἀργὸς καὶ ἀκρατὴς βίος κακοῖς ἀνδράσιν ἴδιος.*

IX 42 *Καιρὸς ψυχὴ πράγματος.*

IX 60 *Καὶ τὸ ἄμεινον εἰς τοὐναντίον ἀποτελευτᾷ.*

IX 66 a *Κενὰ τὰ τύχης: πρὸς ἀνεπιτηδείους.*

X 20 *Κυπαρίττου καρπός: ἐπὶ τῶν καλὰ καὶ ὑψηλὰ λεγόντων ἄκαρπα δέ.*

Cf. Erasm. IV, 3, 10.

XII 2 *Νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος.*

XII 64 *Ὀλύμπου φανεῖται παντὸς ἐπαχθέστερος.*

XII 65 a *Ὅλους Ἄθως κατατοξεύεις τῆς κορυφῆς: ἐπὶ τῶν πασχόντων ἀνύποιστα.*

Hanc locutionem adhibuit Theod. Prodr. Manuscr. de la Biblioth. du Roi t. VIII, 113: *οὐδ᾽ ἂν ὅλους Ἄθως, ὦ λῷστε, τῆς κορυφῆς μοι κατατοξεύοις.*

XIII 1 a *Ὅρασις μὲν ἔρωτος ἄρχει, αὔξει δὲ τὸ πάθος ἐλπὶς, τρέφει δὲ μνήμη, τηρεῖ δὲ συνήθεια.*

XIII 17 *Οὐκ ἀσφαλὲς σπουδαῖον χρονίζειν, ἔνθα μή εἰσιν ὅμοιοι.*

XVI 56 *Τῆς Ορφέως ἀπόζεις κιθάρας ἐν τῷ λέγειν.*

XVI 80 *Τὸ μέλλον οὐδεὶς ἐκφύγοι.*

XVII 41 *Τῶν ἀνεφύκτων μὴ ἐπιχείρει.*

M. P. II 8: *Μηδὲν ἔξωθεν πολυπραγμονεῖν, μηδὲ τὸ λεγόμενον ἀντικατηγορεῖν.*

II 78 *Ῥητορικὴν δειλίαν δημόσιος καιρὸς οὐ παραμένει: παρόσον οἱ ῥήτορες ἀνδρεῖοι θέλουσιν εἶναι.*

II 95 *Τὰ τοῦ καιροῦ: πρὸ τοῦ καιροῦ.*

Quoniam nunc singula dicta Byzantina, quae Apostolius proverbiis antiquis immiscuit, enumerata et spectata sunt, iam in universum disputandum erit de fontibus recentioribus in hoc opere adhibitis. Quorum maximi est momenti collectio proverbiorum vulgarium, quam Apostolius exscripsisse videtur. Putari enim non posse eum haec proverbia ex vulgi ore collegisse iam saepius monuerunt viri docti velut Crusius Rh. M. 42, 398 et Krumb. Mgs. p. 260.

Notum est omnes collectiones Byzantinorum proverbiorum in duas partes discedere, quarum una est theologica, altera profana cf. Krumb. cod. Mosq. p. 350. Apostolii autem fonte posteriorem classem repraesentari explicationibus adiectis per se intellegitur. Huc accedit quod vulgarem speciem et formam proverbiorum, quae

in theologicis collectionibus pure ac fideliter servata est, is qui haec proverbia collegit, in doctum Byzantinum sermonem mutavit et correxit, id quod etiam in aliis huius modi collectionibus factum est.

Occupat autem Apostoliana inter reliquas collectiones Byzantinas proprium locum, quod ad pleraque proverbia explicationes prosae orationis adiectae sunt. Plurimae enim profanae collectiones omnino explicationibus carent velut Planudea et Aesopi comoediae, quae dicuntur (Pol. I p. 3—5). In quorum numero etiam Hermodori Rhegii Adagia (cf. infra p. 68 sq.) et collectio cod. Paris. 1409 (Mgs p. 51) referenda sunt, quae tamen vulgarem formam bene servaverunt. In alia autem collectione, quae Aesopi nomine inscripta est (Corp. Paroem. Gr. II p. 228), ad tria tantum proverbia pauca verba interpretandi causa adiecta sunt et collectio codicis Mosquensis metricas explicationes praebet. Potestne autem fortasse fieri, ut Apostolius has explicationes in fonte suo non reppererit sed ipse adiecerit? Hoc sane non est verisimile, nam mirum sane esset, si ille, qui in reliquis partibus operis sui semper alios auctores secutus est, in his ipsis proverbiis a consuetudine sua discessisset. Huc accedit, quod haud pauca inveniuntur proverbia, ubi explicationes desunt, quaeque sic in illo fonte exstitisse videntur. Quae cum ita essent, aut ipse quoque nullam explicationem adscripsit velut III 17, III 42, IV 51, VI 39 a, VI 48 a, VII 76 e. q. s., aut nihil adiecit nisi *δημώδης* V 34, *δημώδης καὶ σαφής* VI 54, *δημώδης* VI 98, *αὐτοδίδακτος* VII 20, *σαφής* X 88, *παραινετική ἐστι* XI 50, *αὕτη δημώδης καὶ δήλη* XII 33, *καὶ αὕτη δημώδης* XII 35, *δήλη* XII 64 e. q. s. Praeterea saepius rectas explicationes praebet, ubi proverbia ipsa corrupta traduntur neque intellegi possunt velut III 12 a,

IV 51 a. Nihil igitur est, cur putemus has explicationes Apostolii additamenta esse.

De vulgari autem origine horum dictorum saepissime propterea dubitari non potest, quod toto argumento et specie apparet ea ex vulgi Byzantini ore esse nata velut II 75, V 34, VI 98, VII 54 a ceteraque. Alia autem huius modi esse tertimonio reliquarum collectionum Byzantinarum, quae eadem vel simillima proverbia exhibent, confirmatur. Itaque necessarium esse putavi omnes has collectiones perlustrare et locos parallelos ad singula proverbia adscribere. Novorum autem adagiorum collectiones adhibere non potui, quamquam fortasse fieri potuit, ut hoc modo vulgaris origo proverbiorum, quae nunc testimonio carent, probaretur.

Quaeritur nunc, num vestigia huius collectionis, quae Apostolii fons fuit, etiam alibi inveniantur. Iam vidimus hac collectione cum aliis comparata nonnullas habere similitudinem quandam cum Apostoliana velut Planudeam, quae 15 proverbia cum ea communia habet. Ab altera autem parte negari non potest tam diversas esse has collectiones inter se, ut fons tantum eis communis fuisse videatur. Id quod de aliis quoque collectionibus Byzantinis valere videtur velut de collectione Warneri, quam Polites t. II publicavit, quae 22 cum ea communia habet, de Adagiis Hermodori Rhegii (3 communia), de codicibus, quos Krumbacher 1893 edidit (7), de codicibus in Politis t. I publicatis (7 communia). Quae cum ita se habeant, dubium esse non potest, quin Apostolius ex proprio fonte hauserit, qui deperditus esse videtur. Cuius fontis vestigium praeterea in Aldina relictum est, quae 5 proverbia eiusdem formae atque Apostolius praebet cf. infra p. 64.

Apostolium autem ipsum Parthenii Katziulis fontem fuisse notum est (cf. Polites I p. λβ'), qui etiam 53 proverbia vulgaria ex eo recepit.

Dignum est memoratu etiam compluria (7) horum proverbiorum in sententiis inveniri, quae Publilio Syro adscribuntur. Oritur enim quaestio, utrum haec dicta ex Publilio Syro in Graecum sermonem invaserint an ex Graeco in linguam Latinam. Qua de re suspicari possumus ea Graecae originis fuisse et a Romanis recepta esse, quoniam multa possunt demonstrari proverbia Latina, quae a Graecis petita sunt, perpauca vel nulla, quae a Romanis ad Graecos pervenerunt. Qua de re disputavit Crusius Wochenschr. f. klass. Philol. 1891 p. 426, ubi dicit: Sicher römisches Lehensgut hat Otto bei den Griechen nicht nachgewiesen und Referent nie beobachtet.

Proverbia in hac collectione Byzantina, quam Apostolius adhibuit, secundum ordinem litterarum disposita esse videntur, sicut in aliis quoque collectionibus huius generis factum est velut in Aesopi nomine inscriptis. Neque enim Apostolium ipsum hunc ordinem restituisse verisimile est. Nam singula proverbia sub diversis litteris repetita sunt, velut VI 60 alio initio XII 33 a occurrit, VIII 43 iteratur IX 59 b, XIII 86 a s. n. XIII 97. Talia in collectionibus ordine litterarum dispositis, ubi diversae versiones eiusdem proverbii commemorantur, frequentia sunt, cum in aliis, ubi sensus spectatur, non inveniantur. Sed fortasse dixerit quis, inde concludi posse Apostolium ex duobus vel compluribus fontibus hausisse. Hoc sane fieri posse concedendum. Ab altera autem parte nihil obsistit, quominus credamus iam Apostolii fontem ex diversis collectionibus compositum esse. Quarum una ea fuisse

videtur, quae proverbia in trimetri formam redacta exhibuit (cf. supra p. 37 sq.).

Iam antea commemoravimus paroemiographum illum, qui hanc collectionem composuit, operam dedisse, ut sermonem vulgarium proverbiorum quam maxime accommodaret ad sermonem doctae locutionis. Nihilominus autem ei non contigit omne vestigium vulgaris et genuinae formae exstinguere. Occurrunt enim interdum verba recentiora et vulgaria velut VI 54 *ἀϊτανόφρυν* et constructiones a vetusto Graecorum sermone alienae velut III 12 a et VI 54, ubi *εἰς* c. acc. pro *ἐν* c. dat. et VI 39 a, ubi *δύσκολος* pro *χαλεπός* positum est more Byzantino. Sed quoniam haec rariora sunt, in universum dicendum est ex forma grammatica vulgarem originem horum proverbiorum cognosci non posse. Idem valet de metro, quod hac transmutatione haud raro turbatum et dirutum est. Ubi autem servatum est, magis temere et casu factum esse videtur quam consilio eius, qui collectionem composuit.

Postremo quaerendum est, utrum Apostolius copiose et abunde hunc fontem exhauserit an pauca ac singula ex eo excerpserit. Qua de re suspicari possumus hanc collectionem non multo plura comprehendisse proverbia quam ea, quae Apostolius memoriae tradidit. Studiosissimus enim cum esset quam plurima proverbia colligendi fere omnia lemmata et explicationes codicis Ps.-Diogen., quo usu est, in collectionem suam transscripsit. Itaque verisimile est eum hunc quoque fontem, quoad eius facere potuit, exscripsisse et expilasse.

De tempore autem, quo haec collectio composita sit, sententiam acceperim, quam Krumbacher protulit cod. Mosq. 1900 p. 385 sq., qui putat omnes collectiones

proverbiorum Byzantinorum 14. et 15. saeculo natas et volgatas esse.

Restat, ut pauca sint dicenda de excerptis Byzantinis, quae in hac proverbiorum collectione, de qua modo diximus, non exstitisse sed ex auctoribus ignotis fluxisse verisimile est. Videntur autem ex poematis Byzantinis et ex libris rhetoricis deprompta esse, ubi fortasse ad usum scholasticum composita erant. Sunt enim versus didactici cf. p. 47 sq., loci communes velut II 74 a, II 97, III 43 a, VIII 7, VIII 55 b, IX 42, locutiones sophisticae velut II 100 e, X 20, XII 64, XII 65 a. Quorum singula explicationibus adiectis proverbiis similia facta sunt, a quibus tamen origine et usu differunt.

Iam venimus ad Apostolii pseudoproverbia.

CAPUT III.

DE APOSTOLII PSEUDOPROVERBIIS.

Sane laudandus est Apostolius, quod proverbia Byzantina, quae pretiosissima pars eius collectionis dici possunt, memoriae tradidit, cum proverbiis colligendis operam daret. Longe enim aliter iudicamus hac de re atque Erasmus, qui eum vehementer vituperavit, quod haec dicta in opus suum recepit. Dicit enim III, 3, 42: Et hoc ni fallor Apostolius hausit a vulgi faece. Homo non perinde elegans atque palato, quemadmodum accepimus ab iis, qui eum domestica consuetudine noverant. — Ab altera autem parte merita sua obscuravit Apostolius, quod hoc studio incensus multa quoque congessit, quae nullius pretii sunt aestimanda. Qua de re iam saepius monuerunt viri docti velut Hiller Philol. 34 p. 228 et Schneck: Quaest. paroem. de cod. Coisliano, qui p. 26 sq. dicit: „Notum est scriptores aevi Byzantini flagrantissime luminibus proverbiorum inhiare (cf. Bernh. Comm. de Suidae lex. p. LXXVI) atque omnes locutiones vel formulas, quae similitudinem quandam cum proverbiis habeant, horum numero immiscere eodemque modo explicare et interpretari. Luculentissime hoc demonstratur loco illo Eustathiano p. 1926, 62 sqq., ubi de nova disserit methodo, quemadmodum proverbia fingi vel explicari possint. Quanto studio his temporibus proverbiorum collectiones tali modo auctae sint, optime cognoscitur e vasta farragine adagiorum, quam Apostolius

eiusque filius Arsenius congesserunt. Ut quam plurima enumerare posset proverbia, scriptores Graecos, scholia, lexica expilavit Apostolius et quae quodammodo ei videbantur idonea adiectis verbis solemnibus: *ἐπὶ τῶν κτλ.* ita mutavit, ut proverbii simile quid exsisteret." Haud difficile est intellectu, quomodo fieri potuerit, ut scriptores Byzantini negotium tam inutile subirent. Nam voce *παροιμία* non ea significabant, quae nos ita appellare solemus, sed breves sententias et formulas cuiuscunque modi *παροιμίας* nominari posse censebant, cum non cogitarent de vulgari origine et usu (cf. Krumb. Mgs p. 7 sq. et cod. Mosq. p. 344 sq.). Inde factum est, ut proprio negotio talia praeparare et ab omnibus partibus conferre non dubitarent. Itaque cavendum, ne cui eiusmodi dicto ulla auctoritas quasi vulgari proverbio tribuatur, cum nihil aliud sint nisi opus frigidae doctrinae nequo ullum habeant contectum cum vulgo eiusque vita. Quae cum ita sint, fortasse e re erit cognoscenda reddere haec dicta apud Apostolium ac de eis paulo accuratius disputare, ne quis postea in errorem incidat ea genuina proverbia esse eisque perverse abutatur sicut saepius factum esse constat (cf. Hiller Philol. 34 p. 230 et Crusius ibid. 50 p. 30).

Talia pseudoproverbia apud Apostolium haec inveni:

I 9 *Ἀγαθὸς ψάλτης, ἀγαθὸς ζωμοποιός*
42 *Ἀετὸν κορώνη ἐρεσχελεῖ*
56 *Ἀθύρωτον στόμα*
76 *Αἰγιθάλου τολμηρότερος*
78 *Αἰέτιον χάριν ἐκτίσω*
II 1 *Ἀκαδημίηθεν ἥκεις*
13 *Ἀλεκτρύων ἐπιπηδᾷ*
38 *Ἀλκήστιδος ἀνδρεία*

VII 60 Ἐπειδὴ τῶν Ταντάλου λίθον τῆς κεφαλῆς ἀποτιναξάμεθα
65 Ἐπαύλια δῶρα φέρειν ἥκεις
74 Ἔποπος Ἰνδοῦ στοργή
95 Ἐργίνου πολιαί
VIII 19 Ἐφημέρου ζωή
28 Ζεὺς ἀετὸν εἵλετο
37a Ζώνῃ περίβαλε τὴν γαστέρα
79 Θάνατον παρδάλεως ὑποκρίνεται
92 Θρὶξ ὕστριχος
98 Ἴαννος ἄλλος
IX 2 Ἱερόσυλος θεοσεβεῖ
5 Ἱματισμὸς Διονύσου
15 Ἱστὸν ἀράχνης]
24 Καὶ βαίτυλον ἂν κατέπιες
51 Καὶ μία μείζων βίᾳ τῶν Μηνιάδων
73 Κενταύρων ὕβριν μεμίμηται
75 Κερκιώνων ἐλευθερία
87 Κορώνη γράμμα κομίζει
98 Κόττου ἰσχυρότερος καὶ Βριάρεω
X 7 Κροκοδείλου δάκρυα
32 Κύνες Ἰνδικοί
43 Λακκόπλουτος εἶ κατὰ τὸν Καλλίαν
44 Λαμίας δυσμορφότερος
53 Λεωκόριον οἰκεῖς
59 Λέσχῃ ἐγκάθῃ
63 Λέων εὐθὺς εἰς ἀγῶνας
74 Λιτύερσαν ᾠδὴν ᾄδεις
87 Λύκω συννόμω καὶ ἵππω, λέοντε γὲ μὴν οὐκέτι
97 Λυσικράτης ἕτερος
98 Λυσικράτου πλοῦτον πλουτεῖς
99a Λυδία ἐλέγξει τὸ κίβδηλον
XI 6 Μαρσύας κομπάζων ἐρίζει
21 Μεταβλητότερος Μήτρας

XIV 13 *Παταχίωνος συκοφαντικώτερος*
19 *Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενία*
21 *Περιεστίαρχος ἐγένου*
22 *Περίψημα ἡμῶν ἐγένου*
28 *Πηγάσου ταχύτερος*
36 *Πλατάγη δοκιμάσει*
38 *Πλόκιον Γοργόνης*
62 *Πόλεμός τις ἀσίδηρος ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα κεκίνηται*
71 *Ποηφάγου δειλότερος*
72 *Πόᾳ λίθον ἐκβάλλει*
74 *Πράμνιον οἶνον ἔπιες*
76 *Προδίκου σοφώτερος*
77 *Πρύμναν ἐκρούοντο*
XV 5 *Πτερὸν ἀετοῦ πτεροῖς ἄλλων μιγνύεις*
10 *Πυθίων ὕστερον ἧκες*
11 *Πυθαγορικοὺς κυάμους μὴ ἔσθιε*
32 *Σαμίων ὁ δῆμος ὡς πολυγράμματος*
34 *Σάρωνος ναυτικώτερος*
39 *Σεισάχθειά σοι μηδέποτε γένοιτο*
40 *Σεῖος ἀνήρ*
41 *Σεσέλλισαι κατ᾽ Αἰσχίνην*
53 *Σκεδάσου κατάρα*
61 *Σπερμολόγος ὢν οὐ λανθάνεις*
80 *Συγκρητισμὸν ἔχεις*
84 *Σφάκελός σοι*
85 *Σφενδόνη Γύγου*
96 *Ταμίας ἀγαθός*
99 *Τὰ μέροπος δρᾷς*
XVI 1 *Ταντάλου κῆπον τρυγᾷς*
8 *Τὰ Μαγνήτων κακά*
9 *Ταντάλειοι τιμωρίαι*
15 *Ταρτησία μύραινα*
19 *Τὰ γὰρ Γαδείρων οὐ περατό*

Mant. Prov.

I 3 *Ἀθηναίων δυσβουλία*
44 *Γράμματα Βελλεροφόντης διεκόμισεν*
63 *Ζωάγρια πίνειν*
89 *Κἂν εἰς μάχαιραν κυβιστήσειεν*
92 *Κενὰ κροταλίζεις ὄχη*
98 *Λήθης πεδίον*
II 11 *Μὴ κρύπτε τὸ κάλλος ὥσπερ τὸ ποηφάγον*
57 *Πέρδικος ἐρᾷ σου δριμύτερον*
77 *Ῥαμνούσιος εἶ*
79 *Ῥοιαὶ νυμφικαί*
83 *Σκαριφίζεις ἄνθρωπε*
III 27 *Τρὶς τοῦ βίου λέλουται ὥσπερ οἱ Δαρδανεῖς*

Iam inquirendum, utrum Apostolius has formulas, quae apud alios paroemiographos velut Zenobium, Pseudodiogenianum, alios non inveniuntur, primus congesserit, an ex fonte hauserit, ubi iam inerant. Quam quaestionem Hiller: Philol. 34 p. 228 adn. in medio reliquit, sed fortasse fieri potest, ut de hac re certiores fiamus.

Praeter apud Apostolium tales formulae in ea collectione exstant, quae tradita est in codice Escorialensi Grauxii et in editione Aldina a. 1505 impressa, cuius codex deperditus est. Qua de re disputavit Crusius: Analecta critica p. 38, ubi dixit: „Unum addo, quod haud raro magna est conlectionis similitudo cum Apostolio; nam etiam novicia illa commenta cum ipsis „historiis“ ex Palaephato repetitis et Suida . . . . in Aldina exstant“; et p. 39: „Totum denique initium et Aldinae et Apostolii plane geminum“. Talia autem utrique communia haec sunt: Ap. I 9 = Ald. col. 1, Ap. I 56 = Ald. 9, Ap. II 1 = Ald. 16, Ap. II 38 = Ald. 26, Ap. II 56 = Ald. 30, Ap. II 57 = Ald. 31, Ap. II 58

= Ald. 31, Ap. II 79 = Ald. 31, Ap. III 1 = Ald. 36, Ap. III 16 = Ald. 32, Ap. III 36 = Ald. 40, Ap. III 40 = Ald. 40, Aq. III 45 = Ald. 41, Ap. IV 19 = Ald. 47, Ap. IV 96 = Ald. 54, Ap. IV 99 = Ald. 54, Ap. V 44 = Ald. 60, Ap. V 48 = Ald. 61, Ap. V 49 = Ald. 61, Ap. V 58 = Ald. 61, Ap. VI 4 = Ald. 69, Ap. VI 8 = Ald. 70, Ap. VII 60 = Ald. 84. Inde consensus Apostolii et Aldinae rarior fit et haec tantum communia habent: Ap. X 97 = Ald. 115, Ap. XV 84 = Ald. 153, Ap. XVI 8 = Ald. 155, Ap. XVI 9 = Ald. 155, Ap. XVI 26 = Ald. 157, Mant. Prov. I 98 = Ald. 111. Quae cum ita se habeant, Apostolium et Aldinae auctorem ex eodem fonte hausisse manifestum est, quem ille uberius, hic in initio diligentius tum segnius exscripsit. Putari enim non posse, unum ab altero pendere causis, quas Crusius Anal. p. 39 attulit, iam satis apparet. Huc accedit quod haud raro explicationes horum dictorum diversae sunt velut Ap. X 97 = Ald. 115, Ap. XV 84 = Ald. 153, Ap. XVI 9 = Ald. 155. In hoc fonte ab utroque adhibito etiam proverbia Byzantina exstitisse videntur, quorum singula Aldinae auctor recepit velut Ald. 29 (Ap. II 75) *Ἀμαθὴς ἀναξυρίδα περιθέμενος κτλ.*, Ald. 35 (Ap. III 4) *Ἄνους ὁ μακρὸς κτλ.*, Ald. 41 (Ap. III 33) *Ἀπορία ψάλτου βήξ*, Ald. 54 (Ap. IV 97) *Βία πενήτων κτλ.*, Ald. 161 (Ap. XVI 85) *Τὸ σκαμβὸν ξύλον κτλ.* Quae cum ita sint, verisimile est iam auctorem communis fontis proverbiis collectionis Byzantinae alia dicta proprio negatio praeparata et ab omnibus partibus congesta immiscuisse.

Quae autem ratio intercedat inter Aldinam et Apostolium et inter fontes harum locutionum dilucide apparet ex hac tabula:

Suidas

Ap. I	56	= Ald. 9	Ap. XIV	6	
II	1	= „ 16		7	
	56	= „ 30		10	
	57	= „ 31		13	
	58	= „ 31		19	
	79	= „ 31		21	
III	1	= „ 36		22	
	16	= „ 32		36	
	31			38	
	36	= „ 40		74	
	40	= „ 40		76	
	45	= „ 41		77	
	68		XV	10	
IV	11e			32	
	99	= Ald. 54		39	
V	30			41	
	35			61	
	68			84	= Ald. 153
	92			96	
VI	4	= Ald. 69	XVI	1	
	8	= „ 70		8	= Ald. 155
	46			9	= „ 155
	59			15	
VII	34			22	
	52			23	
	60	= Ald. 84		24	
	65			26	= Ald. 157
X	43			27	
	44			38	
	53			39	
	59			40	
	74			44	
	97	= Ald. 115		47	
	98			54	
XI	23			69	
	24		XVII	28	
	34			29	
	97			30	
	99			50	
XII	8		M. P. I	3	
	27		II	77	
	99				

Palaeph.

Ap. II	38	= Ald. 26
VI	19	= „ 47
V	47	
	48	= Ald. 61
	49	= „ 61
	58	= „ 61
IX	73	
	98	
XI	6	
	21	
	57	
XII	11	
	74	
XIII	16	
XIV	28	
XVII	34	
XVIII	63	
	68	

Plutarch.	Aelian.	Scholia	Xenoph.	Auctores incerti.
Ap. I 9 = Ald. 1	Ap. I 42	Ap. VII 95	Ap. XVII 81	Ap. V 44 = Ald. 60
IV 96 = „ 54	76	VIII 28	M. P. I 89	XI 81
IX 2	78	98		XIII 64
5	II 13	IX 24	**Geminus**	XIV 62
XI 82	III 32	XI 58	Ap. X 99a	XV 40
88	IV 14	XIV 4	XII 32	80
XIII 59	VII 74	XV 11	XIII 1b	XVI 37
	VIII 19	34		XVIII 59
	79	53	**Max. Tyr.**	M. P. I 92
	92	85	Ap. XVIII 48	I 98 = Ald. 111
	IX 15	XVI 19		II 79
	51	76	**Stob. Flor.**	
	75	XVIII 70	Ap. VIII 37a	
	87	M. P. I 44	„ XII 91b	
	X 7	63	M. P. III 27	
	32	II 83		
	63			
	87			
	XI 22			
	39			
	72			
	73			
	XIII 13			
	48			
	80			
	XIV 71			
	72			
	XV 5			
	99			
	XVI 62			
	89			
	94			
	XVII 24			
	84			
	XVIII 9			
	18			
	34			
	64			
	M. P. II 11			
	57			

Iam videmus hac tabula perlustrata quaedam certa genera harum sententiarum et apud Apostolium et in Aldina inveniri et quidem excerpta ex Suida, ex Palaephati Incredibilibus, ex Plutarcho. Quae autem ex scholiis et ex Aeliani Nat. An. et Var. Hist. petita sunt, eorum ne unum quidem exemplum in Aldina demonstrari potest. Videntur igitur ea dicta, quae ex scholiis et Aeliano deprompta sunt, in communi fonte Apostolii et Aldinae non exstitisse sed ab Apostolio ipso addita esse. Quae suspicatio imprimis propterea movetur, quod Aeliani opere nimis copiose et abundanter usus est Apostolius, ex quo non solum nova proverbia formavit sed alia quoque historiis ex eo sumptis illustravit velut I 6, 45, 60, II 17, 21, 90, III 89, IV 78, V 8, 9, 21, 96, 99, VI 70, 96, VII 5, 58, VIII 21, 96, IX 10, 20, 26, 28, 82, X 4, 8, 30, 38, 41, 54, 75, 80, XI 63, 82, XIII 52, 73, XIV 15, 42, XVI 36, XVII 29, 31, 70, 71, 91, XVIII 12, 19. Quibus additamentis cum omnes reliquae collectiones careant et praesertim libri Ps.-Diogeniani, quibus Apostolium fonte usum esse constat (Schneck: Quaest. paroem. p. 33 sq.), verisimillimum ac prope certum est ea ad Apostolium referenda esse.

APPENDIX.

Hoc loco Hermodori Rhegii Adagiorum collectionem publici iuris faciam (cf. praef. p. 2), quae adhuc nisi ex Glossario Du Cangii nondum nota erat. De Hermodoro autem paroemiographo fere nihil scimus. Polites Bibl. Mar. t. I p. 26 putat eum 17. saeculo vixisse et proverbia ex vulgi ore collegisse. Hoc sane magnam habet similitudinem veri, nam tota species et sermo horum dictorum probat vulgarem originem. Itemque Polites recte iudicavisse videtur, cum Crusii sententiam reiceret, qui putavit (Rh. M. 43 p. 478) Apostolium ex Hermodori Rhegii Adagiis hausisse. Nam hae collectiones tam diversae sunt inter se, ut putari non possit Apostolium haec proverbia cognovisse.

Ms. Français — n. 9467 — ff. 38—39.

Lettres—Suscription: A Monsieur de Brieux et à
f. 39' tous les Messieurs de l'Académie à Caen.
f. 38 Adagia collecta a R. P. Hermodoro Rhegio.

1 *Νὰ ξευρὲς τὰ ξεύρω ἐγὼ ἐϑέλαμεν τὰ ξεύρει οἱ δύο.*
2 *Ὅλα τὰ πουλιὰ διαβαίνουν καὶ οἱ σπουργίταις ἀπομένουν.*
3 *Δὸς καιρὸν καὶ μέτρα μίλλια.*
4 *Ἂς ἀπαντήξῃ μεϑυσμένος καὶ μὴ παραδινημένος.*
5 *Ἕνα χρόνον ἄκλαδο πέντε χρόνους ἔρημο.*

6 Ἄλλο 'ναι τὸ νὰ καὶ 'δέτο καὶ ἄλλο 'ναι τὸ νὰ καὶ φάτο.
7 Δέσποτα παπὰ πρεσβύτα ἔπαιρνε καὶ πάντα ζήτα.
8 Τοῦρκον εἶδες ἄσπρα θέλει καὶ ἄλλον εἶδες καὶ ἄλλα θέλει.
9 Ὁποῦ ναὶ ἀπόξω τοῦ χοροῦ πολλὰ τραγούδια ξεύρει.
10 Θέλει λάχει καὶ τοῦ γλάρου σηπία.
11 Τζίτζικας ἐλάλησε, μαύρη ρῶγα ὑάλισε.
12 Δὲν εἶναι ἐκεῖνο ὄμορφο, ὁπ' ὄμορφο τὸ λέσι. f.' 38ʳ
13 Ὁ φτωχὸς τὸ ροῦχο του τρεῖς φοραῖς τὸ χαίρε καὶ καινούργειο καὶ παλαίο καὶ καινουργεῖ ὀμπάλω το.
14 Τζαγγάρης ἀξυπόλυτος, ράφτης παραλυμένος.
15 Ποῖος πεινᾷ τὴν νύφη μας, παρὰ ἡ τζίμπλα ἡ πάνα τῆς.
16 Ἀλεὶ τὸν δέρνουν δυκοκτὼ καὶ δὲν τὸν δέρνει ὁ νοῦς του.
17 Αἱ γυναῖκες ἔχουν μακρυὰ μαλλιὰ καὶ λίγον μυαλόν.
18 Ὅταν ὀρνισθῇ ὁ θεὸς τὴν μέρμιγγα, τοῦ δίνει φτερὰ καὶ πετᾷ.
19 Ἤθελε νὰ κάμη τὸν σταυρόν του καὶ εὔγαλε τὸ μάτι του.
20 Μηδ' ὁ διάβολος σ' ἀπαντήξη μηδέ τὸν σταυρόν σου κάμης.
21 Ἀλὺ ποῦ τὸ χει ἡ ράχη του, νὰ κατηβάζει ψείραις.
22 Τόσο ἔχει ὁ φτωχὸς τὴν ὄρνιθά του, ὡσὰν ὁ ἄρχος τὸ βοῦδι του.
23 Πρὶν νὰ ἴδῃς τὸν διάβολον κάμνεις τὸν σταυρόν σου.
24 Ὑγιεία σου Ἰάννη. Κουκία σου σπέρνω.
25 Ποῦ δὲν θέλει νά ζυμώση πέντε μέραις κοσκινίζει.
26 Ὁ καιρὸς καὶ τὰ ἄχερα ριμάζουν ταῖς ἀχλάδες.
27 Τὴν στραβὴν εἰς ἰ ἀκρωτῆρι γαϊτανοφρυδοὺ τὴν κράζουν.
28 Ὅταν διψᾷ ἡ αὐλή σου ὄξω νερὸ μὴ χαύης.
29 Τῆς νύκτας τὰ καμώματα τὰ βλέπει μέρα καὶ γελᾷ.
30 Ἐὰν μιλεῖς καὶ δὲν σ' ακούουν ξείνασε στὸν μύλον εἶναι.

Monsieur

Agréez ce petit mscrit écrit de la main de vostre très humble seruiteur

Adrian Paruillier de la Comp. de Ihus.

Fere omnia haec adagia iam nota fuerunt, cum Du Cange ea in Glossarium suum reciperet. Exstat autem n. 1 s. v. *ξεύρειν* p. 1016, n. 2 s. v. *σπουργήτης* p. 1424, n. 5 *χρόνος* p. 1764, n. 7 *περνεῖν* p. 1157, n. 9 *τραγουδεῖν* p. 1595, n. 10 *σεπιά* p. 1354, n. 11 s. v. *ῥῶγα* p. 1310 et s. v. *τζίτζικας* p. 1568, n. 12 *ὄμορφος* p. 1043, n. 13 *καινούργιος* p. 541, n. 14 *τζάγγαι* p. 1558, n. 15 *τζίμπλα* p. 1570, n. 16 *δέρνειν* p. 281, n. 17 *μακρύς* p. 855 et *μυαλόν* p. 974, n. 18 *μέρμιγκας* p. 908 et *φτερό* p. 1706, n. 19 et 20 *καμώννειν* p. 568, n. 22 *φτωχός* p. 1707, n. 23 *καμώννειν* p. 568, n. 24 *κουκί* p. 726, n. 25 *μέρα* p. 906, n. 26 *ῥιμάζειν* p. 1299, n. 27 *γαϊτάνιον* p. 234, n. 28 *νερόν* p. 992, n. 29 *καμώννειν* p. 569, n. 30 *μιλεῖν* p. 933.

Adhuc ignoti fuerunt n. 3, 4, 6, 8, 21, quorum scientia hoc manuscripto publicato augemur.

VITA.

Nata sum Johanna Maria Petzold in vico Neukirchen apud Lipsiam urbem sito a. 1878 die secundo mensis Januarii patre Carolo Petzold, matre Ida e gente Heinicker. Fidei addicta sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbuta gymnasium Lipsiense frequentavi, quod auspiciis Katharinae Windscheid floret. Autumno a. 1898 maturitatis testimonio instructa vere a. 1899 Lipsiam me contuli philologiae et historiae operam datura. Cum ibi per quattuor semestria audivissem viros doctos Wachsmuth, Lipsius, Marx, Brugmann, Immisch, Marcks, Seeliger, Sievers, Heinze, Richter et exercitationibus philologicis et historicis virorum doctorum Immisch, Lamprecht, Buchholz interfuissem, Heidelbergam transmigravi, ubi per biennium huius almae studiorum sedis civis fui. Docuerunt me viri clarissimi Crusius, Schoell, Uhlig, de Duhn, Marcks, Hettner. Ut in seminarium philologicum reciperer, cuius sodalis per duo semestria fui, benigne permiserunt viri docti Crusius et Schoell, ut in historicum Schaefer et Marcks. Illinc vere a. 1903 universitatem Monacensem adii, ubi unum semester seminarii Byzantini exercitationibus interfui docente Krumbacher et praeterea Muncker audivi.

His viris omnibus, qui me docuerunt, gratias ago quam maximas.